BIBLIOTECA CENTRAL UAML

N O T Æ.

1 a *Eſculan.* ) Seu Aſculan. nam Aſculum, ſeu Eſculum dicitur civitas Italiæ, de qua, & ejus diœceſi egimus *in c. 8. ne clerici vel monach.*

b *Aprutin.* ) Interamna civitas eſt Italiæ in Picenatibus poſita, quam hodie vulgo Teramum dicimus, ſecus fauces Tordini fluminis; quæ cum a tribus fluminibus alluatur, Interamna nomen invenit, quaſi inter tres amnes ſita: quod ipſum nomen vulgus etiam, ſed corrupte retinuit, eſt caput totius Aprutinæ provinciæ. Quare ipſius Præſul, non Interamnæ, ſed Aprutinenſis denominatur Epiſcopus, qui nullius Metropolitani reveretur arbitrium, ſed tantum Romani Pontificis proxime faſces adorat, ut tradit alia congerens de ipſius diœceſis origine, & Præſulibus Ughellius *t. 1. Ital. ſacra, f. 348.*

COMMENTARIUM.

INter alias conſuetudines ſimoniacam labem redolentes, præcipua fuit olim conſuetudo præſtandi convivia pro electionibus, & conſecrationibus Epiſcoporum, ſeu ſimilium Prælatorum; quam redarguit Sidonius *l. 4. ep. 15.* & graviter reprehendunt PP. Synodi Carth. 3. *can. 42.* ibi: *Convivia ſibi conciliantes plebem, ut perſuaſu maligno, & illicite eoſdem velint collocare Rectores.* Extant hujus moris veſtigia apud Greg. Tur. *de vitis Patrum c. 6.* dum refert, quod cum Arverni ad Theodoricum Regem munera ferentes Epiſcopum ab eo expetituri veniſſent, Rex ipſis redire juſſis, ſanctum Gallum Epiſcopum futurum eis deſtinavit, juſſitque ut ordinaretur in Presbyterum, & datis de publico expenſis, cives invitarentur ad epulum, & lætarentur ob honorem Galli Epiſcopi. Quod cum ita factum eſſet, is referre ſolitus erat, ſe non amplius donaſſe pro Epiſcopatu, quam unum trientem coquo, qui id prandium paraverat. Et apud Surium *die 18. Julii, in vita Sancti Friderici Trajectenſis Epiſcopi*, refertur de eo, quod die, quo in Antiſtitem inauguratus fuit, celebre convivium omni Clero, Nobilibus item, & ignobilibus a Ludovico Pio datum fuit. Similem morem in noviter ordinatis Conc. Palent. improbat *tit. de ſimonia*, his verbis: *Quorumdam clericorum, & laicorum abuſum, qui clericos de novo promotos non permittunt in ſuis ordinibus miniſtrare prius, quam eis adhibeant per unum, aut plures dies prandia, & convivia ſumtuoſa, vel certam præparent quantitatem pecuniæ, extirpare volentes, ſtatuimus ut tam clerici, qui ad titulum alicujus Eccleſiæ ad Subdiaconatus, Diaconatus, aut Presbyteratus ordines ſunt promoti, noviter celebrare voluerint, ut clerici illius Eccleſiæ eos libere admittant, & eis ad celebrandum miniſtrent Eccleſiæ paramenta, celebrationi eorum taciti intereſſe, & amicabiliter aſſiſtentes, iidem etiam ſecundum quod ordo ipſorum exegerit, portionem integraliter conferant, & aſſignent.* Et conſuetudinem accipiendi ſcyphum a novo Canonico improbavit Honorius III. cujus verba dedimus ſupra *in c. ſicut 39.* quæ prandia ſimoniæ notam, ac criminationem continent, ſi largitione iſta eligentium ſuffragia ambiuntur, hominum voluntates conciliantur, & ſuffragia quæruntur, cum virtute, non pecunia, literis, non pretio, dignitates eccleſiaſticæ promerendæ ſunt. Sic Cato Uticenſis apud Ciceronem *in oratione pro Muræna*, ex Stoicorum ſententia negavit licere Magiſtratui candidato conviviis, aliiſque oblectamentis populum ineſcare. Quare recte Gregorius IX. in præſenti talem conſuetudinem, ut ſimoniacam labem redolentem condemnavit: quam etiam in prandiis præſtandis ab ingredientibus monaſterium condemnavit Urbanus V. *in extravag. Sane hoc tit.* inter communes. Notavit Hallierius *de ſacris elect. ſect. 7. c. 2. art. 2. §. 2.*

C A P U T X L I V.

*a* Idem.

SI quis ordinaverit, ſeu ad ordinem præſentaverit aliquem, promiſſionem, vel juramentum ab illo recipiens, quod ſuper proviſione ſua non inquietet eumdem, ordinator a collatione, præſentator vero ab executione ordinum per triennium, & ordinatus ab ordine ſic ſuſcepto, donec diſpenſationem ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam obtinere meruerint, noverint ſe ſuſpenſos.

N O T Æ.

1 a *Idem.* ) Gregorius videlicet IX. qui in præſenti non ſolum confirmat Innocentii conſtitutionem relatam *in c. per tuas, 45. hoc tit.* verum & auget, ita ut non ſolum præſentator, de quo agebatur *in d. c. per tuas*, verum & ordinatus, qui cum Epiſcopo pactum fecit de non petendis ab eo alimentis, quæ ex juris diſpoſitione Epiſcopus illi ſine titulo ordinato præſtare tenetur, ex traditis *in c. 4. de præbend.* ſuſpenſionem incurrat, & ſimiliter ordinator per triennium ab Ordinum collatione ſuſpenditur, a qua ſuſpenſione nec ordinatum excuſat ignorantia, niſi fuerit invincibilis, & inculpabilis, ut docent Suarez *de cenſur. diſp. 31. ſect. 1. n. 53.* Hurtado *in diſp. de ſuſpenſione, difficult. 13. n. 37.* Coninck, & Caſtropalao, quos ſequitur Gibalinus *de cenſur. in ſynopſi, litt. O, n. 11.* Rationem hujus deciſionis aſſignavimus *in d. c. per tuas*.

C A P U T X L V.

*a* Idem.

MAndato noſtro recepto, ut cum monachis, qui per ſimoniam dato aliquo locum in monaſteriis ſunt adepti, ſecundum conſtitutionem Generalis *b* Concilii diſpenſares. *Et infra:* Conſult. t. breviter reſpondentes dicimus, mandatum Apoſtolicum, etiam ad *c* Abbates extendi, & propter reſignationes ſpiritualium, & temporalium, quæ nullo pacto, ſed affectu animi præcedente utrinque taliter acquiruntur (in quo caſu delinquentibus ſufficit per ſolam pœnitentiam ſuo ſatisfacere Creatori,) eos pro ſimonia hujuſmodi non teneri.

N O T Æ.

1 a *Idem.* ) Gregorius IX. videlicet: cui autem Prælato reſcribat, non conſtat; & cum ejus epiſtolis careamus, agnoſcere non poſſumus, de quo monaſterio in præſenti agatur.

b *Concilii.* ) Relati ſupra *in c. quoniam*, ubi de ſimonia admiſſa in ingreſſu Religionis egimus.

c *Abbates.* ) Quia in favorabilibus, & materia proportionabili Abbas comprehenditur appellatione monachorum, niſi aliud ex loquentis mente conjiciatur, ut probant Suarez *t. 3. ſumma, l. 6. c. 8. q. 84.* Valenzuela *conſil. 74. n. 79.* quia Abbas per promotionem ad Abbatiam non deſinit eſſe monachus, nec per ipſius dignitatis aſſecutionem debet eſſe pejoris conditionis, quam ſunt ceteri monachi; cum dignitatis proprium ſit augere ſtatum, non vero illum in deterius mutare, ut docent Tamburinus *t. 1. de jure Abbat. diſp. 16. q. 3.*

COMMENTARIUM.

2 Diviſio ſimoniæ. SImonia communiter dividitur a Doctoribus in mentalem, conventionalem, & realem, ut explicant Navarrus *in manuali, c. 23. n. 103.* Cajetanus, Sylveſter, & ceteri Summiſtæ *verbo Simonia*, Rednanus *de ſimonia, 1. par.* Aragon *ad D. Th. 2. 2. q. 100. art. 6.* D. Joannes Vela *de pœnis & delictis, cap. 31. n. Eſt enim*, Tiberius Decianus *t. 1. tract. crimin. lib. 5. c. 81.* Gibalinus *de ſimonia, q. 1. n. 2.* De prima in præſenti agendum eſt. Et quidem ſimonia mentalis non dicitur ea, quæ ſola voluntate, aut propoſito committendi ſimoniam perficitur, ſicut voluntas fornicandi, aut furandi ſolet dici mentalis fornicatio, aut furtum; nam omnis ſimonia debet continere externum aliquem actum, aliquamque dationem, ſeu acceptionem per modum pactionis, ut conſtat ex definitione, quam illuſtravimus ſupra *in c. 1.* Mentalis ergo ſimonia eſt datio, vel acceptio ſpiritualis pro temporali, tamquam pretio, abſque ullo pacto tacito, vel expreſſo, ita ut ea prava intentio dantis, vel accipientis, neque ex ipſo opere externo, nec ex ejus circumſtantiis ullo modo ſe prodat, cum opus ipſum ſit aliquid indifferens, & poſſit bono, aut pravo animo fieri, accipiatque totam ſuam turpitudinem ex intentione ſimoniaca, ut contingit in aliis actibus indifferentibus, qui a ſola intentione peculiarem malitiam ſortiuntur, ut contingit in eo, qui accipit ſtipendium pro dicenda Miſſa, tanquam ipſius pretium: qui dat rem ſpiritualem, ut accipiat aliquid temporale in ejus compenſationem, eſt ſimoniacus mentalis. Et hæc ſimonia nonnunquam datur ex parte dantis tantum, aliquando ſolum ex parte accipientis, plerumque autem ex parte utriuſque, cum videlicet uterque eam pravam intentionem habet nullo pacto inito. Simoniæ mentalis exemplum extat *in cap. tua nos, de ſimonia*, ubi clericus qui dedit bona ſua ut reciperetur in Canonicum abſque ullo pacto, ea tamen intentione, ut per bona temporalia ſpirituale officium aſſequeretur, apud diſtrictum judicem culpabilis judicatur.

Quibus ſuppoſitis, ut ad præſentem textum accedamus, ſciendum eſt, valde controverſum eſſe, an ſimoniacus hic mentalis teneatur ad reſtitutionem rei, ſeu pretii cum intentione ſimoniaca accepti? Et eo caſu teneri ad reſtitutionem, docuerunt Medina *de reſtit. cap. de uſurarum reſtitutione*, Soto *l. 9. de juſtitia, qu. 8. art. 2. in ſolut. ad 6.* Hadrianus *quodlibet*



*libet 9.* Joannes Maior *in 4. d. 25. q. 1. art. 7.* Armachanus *l. 10. c. 32.* Henricus a Gandavo *quodlib. 9. q. 26.* moti ex textu *in c. conſuluit, de uſur.* ubi docetur, uſurarium mentalem ad reſtitutionem teneri. Igitur ſimiliter & ſimoniacus mentalis. Deinde quia cum jure naturali, & divino ſimonia prohibita ſit, eodem jure videtur prohibita dominii tranſlatio, ut probarunt Innocentius, & Hoſtienſ. *in c. tua nos, hoc tit.* & quando tam dare, quam accipere aliquid temporale eſt injuſtum, non poteſt ſic acquiſitum in foro conſcientiæ retineri. Contrariam tamen ſententiam probant Sanctus Thomas *2. 2. q. 100. art. 5. & 6.* Cajetanus *in ſumma, verbo Simonia*, Navarrus *in manuali, c. 23. n. 103.* Palacios *de contradict. l. 2. c. 9.* Redoanus *de ſimon. p. 4. c. 8. n. 18.* Binsfeldius *in præſenti*, Gibalinus *de ſimon. n. 23. conſultat. 12.* pro quibus facit textus præſens, & *in c. tua nos, hoc tit.* ibi: *Quia nobis datum eſt de manifeſtis tantummodo judicare.* Et *l. 5. tit. 19. §. 1.* In qua opinionum varietate dicendum eſt cum Suarez *t. 1. de relig. l. 4. de ſimon. c. 59. n. 43.* Bonacina *de ſimon. q. 7. punct. 7. diſput. 1. n. 23.* Gibalino *de ſimon. d. conſultat. 12.* ſimoniacum mentalem non obligari ex ſolo jure eccleſiaſtico ad reſtitutionem, quia Eccleſia de his actibus occultis non judicat, *d. c. tua nos, cap. ſicut, hoc tit.* Ex divino autem jure obligatur ad reſtitutionem pretii ſimoniace accepti, quoties in eo fuit violata juſtitia commutativa, eodem prorſus modo, atque obligat ſimonia realis, quando præter ſacrilegii pravitatem injuſtitiæ malitiam continet. Ratio perſpicua eſt, quia æque tunc in ſimonia mentali violatur juſtitia, atque in reali. Ergo æqualis eſt in utraque obligatio reſtituendi, ſiquidem unica ratio obligationis ad reſtitutionem eſt injuſtitia, & inæqualitas, quæ reparanda eſt. Quamvis autem ea injuſtitia, occulta, aut manifeſta ſit, lateat in animo, aut exterius ſe prodat; ſi tamen re ipſa committitur, & actu ſit alteri injuria, interceditque inæqualitas, eadem ratione ſimoniacus mentalis ac expreſſus tenetur ex jure divino, & ex natura rei ad reſtitutionem; non tamen ſubjacebit pœnis a jure poſitivo ſtatutis.

4 Separatur c. conſuluit, de uſuris. Sed in inquirendo diſcrimine, quare videlicet uſurarius mentalis teneatur ad reſtitutionem, *d. c. conſuluit, de uſuris*; non vero ſimoniacus, ex præſenti textu, anxie laborant Doctores. Aliqui eam diſcriminis rationem eſſe docent, quia uſura bene datur, & male recipitur; ſiquidem uſuram dare peccatum non eſt, *c. debitores, de jurejur.* uſuram vero accipere omni jure prohibitum eſt, *c. 1. & 2. de uſur.* & ideo acceptum pretium ab uſurario ex omni jure reſtituendum eſt, quia qui male accepit ab eo, qui bene dat, tenetur ei reſtituere, *c. cum ſane*, ubi Gloſſa *14. q. 5. leg. 2. ff. de cond. ob turp.* at vero in ſimonia verſatur turpitudo utriuſque; & ideo recipiens non tenetur ad reſtitutionem, quia in pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis, *l. 3. & 4. de cond. ob turp. cauſ. c. in pari delicto, de regul. jur. l. 6.* Sed improbatur, quia in uſura facile ſuccedit, utriuſque turpitudinem eſſe; quando enim quis ſuadet non parato ad exercendas uſuras, ut ſibi mutuet ſub uſuris, uterque ſane uſurarius eſt, nec a reſtitutione excuſatur: & in ſimonia ſæpe contingit turpitudinem eſſe ex una tantum parte, quando Prælatus liberaliter beneficium contulit ſimoniaco mentali. Rurſus, quia in eo caſu ex parte utriuſque verſatur turpitudo, licet quis non teneatur danti reſtituere, tenetur tamen pauperibus erogare, juxta regulam textus *in c. cum tu, de uſur.* Flor. *2. p. tit. 2. c. 2. §. 1.* Covar. *in regul. peccatum 2. p. §. 2. n. 7.* Quare item Navarr. *n. 20.* ex D. Thoma aliam rationem aſſignat, videlicet quod reſtitutio quæſiti per ſimoniam eſt pœna eccleſiaſtica, & Eccleſia non poteſt ob actus interiores pœnas conſtituere, *c. cogitationis, de pœnit. d. 1.* Sequitur Ugolinus *de ſimon. tabul. 2. n. 3.* Sed improbatur, quia quando actus non remanet in terminis cognitionis, ſed qualitercumque prodit foras, eſt in poteſtate Eccleſiæ: docet Gloſſa *verbo Ex iſto*, *Clem. 1. §. verum, de hæret.* quem ſequuntur plurimi relati a Felic. *de comp. l. 1. c. 5. n. 6.* Gutierez *l. 1. can. q. 13. in princ.* Covar. *ubi proxime, in initio n. 7.* Nec verum eſt, inſtitutionem eſſe pœnam Eccleſiæ, cum a principio impediat dominii tranſlationem, ut ſupra diximus, & infra patebit. Secundo, quia nec uſurarius mentalis ad reſtitutionem teneretur contra textum *in d. c. conſuluit*. Aliter P. Navarra *de reſtit. l. 3. c. 1.* Aragon. *2. 2. q. 100. art. 6.* nec non Abbas Antiquus *in d. c. conſuluit*, quem referunt Panormit. & Anania *in præſenti*, diſcrimen aſſignant, videlicet quod uſura mentalis jure divino prohibeatur, *Lucæ c. 6. Mutuum date, nihil inde ſperantes.* In ſimonia vero non ſit prohibita ſpes aliquid recipiendi, nec talis intentio; quia tantum actualis ſimonia prohibetur: Matthæi *c. 10. Gratis accepiſtis, gratis date.* Sed hæc differentiæ ratio merito reprehenditur a Joanne Andrea *in præſenti*, quia cum jure divino, & naturali ſimonia prohibita ſit, etiam mentalis prohibita videtur, cum peccata oris, cordis, & operis ejuſdem ſpeciei ſint, & eodem jure prohibeantur, ut poſt D. Thomam & alios probat Navarr. *in manuali, c. 23. n. 101.* Nec etiam placet diſcriminis ratio aſſignata a Cajetano *2. 2. q. 100. art. 6.* quem ſequuntur Navarr. & alii relati a F. Emmanuele Rodriquez *in ſumma 1. p. c. 66.* dum docet ſimoniacum mentalem non teneri ad reſtitutionem, quia quod illi datur, ſponte datur, animo videlicet emendi, vel vendendi, argumento legis *nec emere, C. de jure delib.* Uſurarius autem mentalis tenetur ad reſtitutionem, quia quod illi datur, non ſponte, ſed ad redimendam potius vexationem datum cenſetur. Quam rationem improbant Sotus *l. 9. de juſtit. q. 8. art. 1. ad 6.* Inſtructionum conſcientiæ *1. p. c. 306. pag. 965.* quia ſimoniacus etiam invitus videtur dare pretium, ſiquidem mallet gratis beneficium, vel ſimile ſpirituale obtinere; & quaſi neceſſitate cogente pretium dat, quia aliter non ſperat id obtinere. Præterea cum recipientes pretium non alia cauſa recipiant, & apud eos ſit, quam ex cauſa emptionis ſpiritualium, quæ nulla eſt ipſo jure, nullo modo poſſunt illud retinere, & per conſequens tenentur ad reſtitutionem. Quare his omnibus ſententiis rejectis, Panormit. Anania, & Felin. *in præſenti*, dixerunt Pontificem conſulendum eſſe pro vera hujus diſcriminis ratione. Verum juxta ſententiam ſupra adductam ex Suario, & Gibalino, facile difficultas hæc ſedari poteſt, ſiquidem tam uſurarius mentalis, quam ſimoniacus, tenentur ad reſtitutionem, ſi per uſuram, vel ſimoniam violatur eſſentialiter juſtitia: quod ſemper contingit in uſura, non vero in ſimonia; nam ſimonia in ingreſſu religionis, de qua in præſenti agitur, nullam continet injuſtitiam, ſed tantum ſacrilegium, de quo per pœnitentiam Creatori ſatisfacere ſufficit; & Eccleſia ſcelus illud animo retentum non punit, nec ejus ratione ad aliquam reſtitutionem obligat. Si vero ſimonia mentalis includat injuſtitiam, per quamque violetur juſtitia commutativa, ſimoniacus mentalis etiam ad reſtitutionem tenetur; atque ita illud diſcrimen verſatur inter uſuram, & ſimoniam mentalem, quod uſura mentalis ſemper continet injuſtitiam & violat juſtitiam commutativam; ſimonia vero mentalis aliquando ſacrilegium continet, non vero juſtitiam violat, ut in præſenti textu docuit Gibal. *ubi ſupra conſult. 12.*

T I T U L U S IV.

De Prælatis, ne vices ſuas, vel Eccleſias aliis ſub annuo pretio concedant.

C A P U T P R I M U M.

a Alex. III. *in Concilio Lateran.*

PRæterea quoniam quidam in quibuſdam partibus ſub pretio ſtatuuntur, qui *b* Decani vocantur, & pro certa pecuniæ quantitate Epiſcopalem juriſdictionem exercent, præſenti decreto ſtatuimus, ut quid de cetero præſumpſerit, officio ſuo privetur, & Epiſcopus conferendi hoc officium poteſtatem amittat.

N O T Æ.

1 a *Alexander III.* ) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c. 1.* ubi additur, *pars capitis Cum in officiis*, ut agnoſcamus in præſenti referri partem textus *in c. cum in officiis, de teſtam.* & integra conſtitutio extat in Concilio Later. celebrato ſub Alexand. III. *c. 15.* De quo Concilio egi *in c. quoniam, de reſcript.*

b *Decani.* ) De quibus egi *in c. ad hæc, §. ult. de officio Archid. c. cum Apoſtolus, de cenſibus.* 2

C A P U T II.

Idem a *in Concil. Tur.*

QUoniam in quibuſdam partibus Decani quidam, vel *b* Archipresbyteri ad agendas vices Epiſcoporum, ſeu *c* Archidiaconorum, & terminandas cauſas eccleſiaſticas ſub annuo pretio ſtatuuntur, quod ad ſacerdotum gravamen, & ad ſubverſionem judiciorum non eſt dubium redundare, id ulterius fieri prohibemus: quod ſi quis de cetero fecerit, noſtra auctoritate removeatur a Clero: Epiſcopus autem, qui in ſua diœceſi hoc ſuſtinuerit, & eccleſiaſtica judicia ſua pariter diſſimulatione perverti, canonica diſtrictione percellatur.

NOTÆ.

1 a Turon. ) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c.2.* & reperitur textus hic poſt Conc. Later. *par. 2, c.1.* non tamen ibi refertur, nec in Conc. Tur. reperitur.

b *Archipreſbyteri.* ) De quibus egi *in cap. 1. de offic. Archipreſb.*

c *Archidiaconorum.* ) De quorum juriſdictione egi *in c. ult. hoc, de offic. Archid.*

## C A P U T III.

Idem a *in Turon. Concil.*

Quoniam enormis quædam conſuetudo in quibuſdam locis contra Sanctorum Patrum inſtitutiones invaluit, *a* ut ſub annuo pretio ſacerdotes ad Eccleſiarum regimen ſtatuantur, ne id fiat, modis omnibus prohibemus, quia dum *b* ſacerdotium ſub hujuſmodi mercede venale diſponitur, ad æternæ retributionis præmium conſideratio non habetur.

NOTÆ.

1 a Idem. ) Alexander videlicet III. in Conc. Turon. ut habetur *in c.3. hoc tit.* in prima collectione, & poſt Conc. Later. *par. 2. c. 2.* & in ipſo Conc. Turon. apud Coriolanum *in ſumma, can.5.* ita legitur: *Ut ſacerdotes ad Eccleſiarum regimen ſub annuo pretio non conſtituantur.* De Concilio Tur. nonnulla adduxi *in c. majoribus, de preb.*

b *Sacerdotium.* ) Ideſt beneficium eccleſiaſticum, *c.1. de conceſſ. preb.* notavit P. Gregorius *l.1. partit. tit.27. c.1.* ut apud Romanos reddicus, ſeu proventus aſſignati pro cultu divino dicebantur Sacerdotia, *l.1. ff. ad leg. Jul. de ambitu, l. Patricius 60. ff. de donat. inter*: apud Livium *l. 9.*

COMMENTARIUM.

2 Concluſio traditur, & probatur. Ex his tribus deciſionibus ſequens communiter deducitur aſſertio: *Officium, vel juriſdictio eccleſiaſtica, ſub annuo cenſu, ſeu pretio concedi non debet.* Probant eam textus *in c. ſi quis Epiſcopus 8. q.1. c. fin. 31. q.2. c.3. de conſuet. c. conſiderare 42. c. ad noſtram, de ſimonia, c.3. de pœnis, c. præcipimus 5. 25. q.2.* Conc. habitum in Germania ſub Conrado Cardin. *c. 12.* ibi: *Enormis quædam conſuetudo invaluit, ut ponantur in Eccleſiis conductitii ſacerdotes, vocati temporales; ne id fiat de cætero modis omnibus inhibemus.* Gregorius VII. in Conc. Roman. incerti anni, *can. 31. Presbyteri non intrent Eccleſias conducti pretio ad annum annum, ſicut mercenarii; ſed per manum Epiſcopi, vel Archidiaconi gratis habeant, quamdiu taliter regere potuerint.* Refert Anton. Auguſt. *in epit. juris, l.6. tit. 19.* Facit præſens rubrica, quæ cum incipiat a dictione negativa, habeatque orationem perfectam, vim legis obtinet, ut probat ex aliis Olea *de ceſſ. jur. tit. 1. q. 2. n. 5.* Illuſtrant ultra congeſtos a Barboſa *in præſenti*, Guillelmus Benedictus *in c. Raynutius, verbo Duas habens filias, n. 25. de teſtam.* Suarez *de relig. tom. 1. lib. 4. de ſimon. c.20.* Tiraquel. *de nobilit., c. 25.* Petrus Bollo *in manum. ſimoniæ, claſſ. 2. §. 5.* Corvinus *l. 4. aphoriſm. tit. 3.* Fragoſo *de regim. Chriſt. Reip. part. 1. l. 1. diſp. 2. §. 2.* Binsfeldius *in d. c. ad noſtram, de ſimonia*, Gibalinus *de ſimon. q. 8. punctum 10.*

3 Propugnatur tradita aſſertio. Sed pro dubitandi ratione ita inſurgo: In materia ſimoniæ correlativa ſunt pro ſpirituali re pretium accipere, vel dare, ut in ejus definitione probavi ſupra *in c.1.* ſed pretium accipere pro vicaria, ſeu juriſdictione eccleſiaſtica exercenda, prohibitum non eſt, imo valde frequens, *c. rariores 12. q.2. c. pervenit 48. de appellat. c. extirpandæ, §. qui vero, de præbend. c. 3. de clericis, ægrot.* Ergo pretium dare pro vicaria, vel juriſdictione eccleſiaſtica exercenda, prohibitum non eſt. Augetur hæc difficultas, nam in Curia Romana quotidie venduntur Clericatus Cameræ, & Auditoriatus, quibus officiis annexa eſt juriſdictio eccleſiaſtica. Igitur quia pro juriſdictione ſpirituali exercenda pretium dari poteſt. Augetur ſecundo hæc dubitandi ratio *in c. quæſitum 1. q. 3.* ubi refertur Epiſcopo ſolvi annuum cenſum a poſſeſſore beneficii. Igitur quia ſub annuo cenſu Eccleſia concedi valet.

4 Traditur ratio decidendi. Qua dubitandi ratione non obſtante, vera eſt præſens aſſertio, cujus ratio provenit ex eo, quia in hoc caſu, etſi non gratia ſpiritualis, ſeu beneficium, ſaltem ſpiritualis poteſtas, & beneficii adminiſtratio videtur pretio æſtimari, ac per conſequens ſimoniæ ſpecies quodammodo committitur, *c. Salvator, §. itemque, 1. q.3.* Juriſdictio enim, ſpecialiter Epiſcoporum, Sacerdotum, vel Diaconorum, aut eſt omnino ſacra, quæ exercetur in clericos, & continet cauſas prorſus eccleſiaſticas; aut mixta, ſpiritualis ſcilicet & temporalis, veluti quæ circa decimas, matrimonia, & ſimilia exercetur: neutra ex eis abſque labe ſimoniæ vendi, locarive poteſt. Ergo recte in præſenti docetur, non poſſe pro juriſdictione eccleſiaſtica exercenda pretium dari. Accedit, quia ſi juriſdictio eccleſiaſtica venalis eſſet, & ſic pretio venderetur, locareturve; id in gravamen ſacerdotum, ſubverſionemque judiciorum redundaret, & ita ſubditi gravarentur, cum tales emptores, ſeu locatores pecuniam præſtitam cum quadruplo, & amplius repetere velint in perniciem litigantium, Seneca *l.1. de benefic.* ibi: *Provincias ſpoliari, non mirum; cum quæ emeris, vendere jus gentium ſit.* Facit quod de Alex. Severo refert Lampridius, cujus verba retuli *in c. indemnitati, de ſimonia.* Idem ſtatuit Juſtin. novella 8. *De judices ſine quoquo ſuffragio fiant*, ubi ſuffragium ſumitur pro penſitatione, cenſu, pactione, locatione, quæ fit conventa mercede. Illuſtrant Balduinus *ibi*, Pancirola *l.2. var. c. 195.* Faciunt alia, quæ de prohibita venditione officiorum congeſſerunt Politici *in d. c. in tantum*, relati.

5 Diſſolvitur dubitandi ratio. Nec obſtat dubitandi ratio ſupra adducta, nam licet Epiſcopus poſſit aſſignare certum ſalarium ejus vicario pro ſtipendio, quia nemo debet militare propriis ſtipendiis, *c. cum ſecundum, de præbend.* tamen e converſo ſi quis non operas ſuas ad ſpiritualem hujuſmodi vicariam locaverit, ſed vicariatum ipſum, ſeu jus alienas vices gerendi conduxerit, quia ſpiritualis poteſtatis adminiſtratio pretio æſtimatur, ſimonia committitur. Nec obſtat quod de Clericatu, & de Auditoriatu Cameræ dicebamus; nam in his officiis, & ſimilibus ſeparanda eſt juriſdictio eccleſiaſtica, quæ clerico, & Auditori confertur, ab emolumento temporali illi conjuncto; juriſdictio nec venditur, nec locatur, juxta ſupra tradita; at vero emolumentum ipſius officii per ſe vendi poteſt: quare ſicut Pontifex etiam in beneficiis eccleſiaſticis poteſt ſeparare proventus ipſos a beneficio, ita etiam & in his officiis diſtinguit eorum emolumentum, quod vendi poteſt, ab ipſa juriſdictione, ut docuerunt Suarez *t.1. de relig. l.4. de ſimon. c.20. n.6. & c.24. n.18.* Caſtro Palao *in diſp. de ſimon. punct. 12. n.7.* Gibalinus *ead. tr. q.10. n. 7.* Nec obſtat textus *in d. c. quæſitum*, nam cum omnes Eccleſiæ olim ad Epiſcopos pertinerent, *c. omnes, 16. q. 3.* nonnunquam retenta certa penſione Eccleſiam aliis conferebant, *c. paſtoralis, de donat.* quod plerumque fieri ſolebat, cum alicujus Eccleſiæ regimen noviter ſtabiliebatur, & beneficium conferebatur, *c. ſtatuimus, c. prohibemus, de cenſibus*; non vero poſtea penſio conſtitui poterat, *c. prohibemus 7. c. præterea 8. c. ſignificavit 13. de cenſibus*, ubi notavimus.

6 Expenditur c. conſtitutus, de relig. dom. c. hoc hoc tit. Sed ſupra traditæ aſſertioni primo opponi poteſt textus *in c. conſtitutus, de relig. dom.* ubi aperte docetur, Epiſcopum poſſe annua penſione ſibi promiſſa a monachis, iis remittere juriſdictionem diœceſanam, quam in eos exercebat. Quem textum ita expendo: Quoad ſimoniam committendam paria ſunt remittere, vel dare, *c. veniens, de teſtibus, c. quoniam, c. per tuas, de ſimonia*: ſed in eo textu ſupponitur juriſdictionem Epiſcopalem ſub annuo cenſu remitti poſſe: igitur quia & concedi ſub eadem annua penſitatione valet. Pro cujus difficultatis ſolutione dicendum eſt, in eo textu, & ſimilibus licite Epiſcopum remittendo juriſdictionem propriam, privilegiumque exemptionis monachis concedendo, poſſe annuum cenſum ſibi ſtipulari, quia ſimilem penſitationem non exigit, ut pretium juriſdictionis remiſſæ, ſed ad probationem ſubjectionis antiquæ, & in argumentum ſubjectionis conceſſæ, *c. recepimus, de privilegiis.* Alia pro ipſius textus expoſitione adduxi *tit. fin. de poſt.* Secundo opponi poteſt textus *in c. fin. hoc tit.* ubi expreſſe docet Alex. Eccleſiam locari poſſe certo pretio, imo & talem locationem factam ad ſeptennium, eo tempore nondum elapſo, revocari non poſſe. Pro cujus difficultatis ſolutione dicendum eſt cum Gloſſa ibi, quam ſequuntur omnes repetentes, Alex. III. in eo textu non agere de locatione Eccleſiæ prout beneficium eccleſiaſticum eſt, ſed de locatione fructuum ipſius Eccleſiæ, ſeu beneficii, qui locari poſſunt, *c. 2. de loc. c. 9. de reb. Eccleſ.*

## C A P U T IV.

Idem a *Exon. Epiſcopo.*

Querelam magiſtri Vu. recepimus, quod cum Eccleſiam de Ferelega a G. *b* perſona ejuſdem Eccleſiæ ad annuum cenſum per *c* ſeptennium tenendam ſuſcepiſſet, ipſe ſibi, antequam per ſpatium unius anni tenuiſſet, auferre præſumpſit, quamquam idem G. præſtita fide firmaverit, quod uſque ad conſtitutum *d* terminum nullam exinde moleſtiam, vel gravamen ei inferret: ideo tibi per A. ſ. p. m. quat. ſi tibi conſtiterit ita eſſe, ap. rem. diſtricte compellas, ut præfatam Eccleſiam præfato G. V. reſtituat, & uſque ad terminum conſtitutum inter eos, ſecundum quod inter ſe convenerant, eamdem permittat pacifice *e* poſſidere.

NO-

BIBLIOTECA CENTRAL UAB



NOTÆ.

1 a Exonienſ. ) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c. fin.* & poſt Concil. Later. *part. 28. cap. 2.* De Exonienſi Eccleſia nonnulla adduxi *in c. 6. de filiis presbyterorum.*

2 b *Perſona.* ) Id eſt Parochus, ut probavi *in c. ad aures, de reſcript.*

c *Septennium.* ) Quatenus locatio hæc ad longum tempus fieri potuiſſet, varie explicant Cenedus *ad Decret. collect. 76.* Barboſa *in præſenti*: ſed veram rationem adduximus *in d. c. 9. de reb. Eccleſ.*

d *Terminum conſtitutum.*) Propter læſionem tamen antea revocari poterat, ut probat D. Joannes de Larrea *dec. 69. per totam.*

3 e *Poſſidere.* Sed conductor rem ipſam non poſſidet, cum uſus tantum ipſius rei voluntate locatoris ei permittatur, *l. ſi ſervus 61. §. locavi, vers. & idem, ff. de furtis.* Quare dicitur, rem alii poſſidere, non ſibi, *l.1. C. commemoratio, de uſucap. l.2. C. de præſcript. 30. vel 40.* Nec circa ipſam rem ullam propriam jus habet, ſed mutuatum a domino, cui poſſidet, & miniſterium præſtat, *l. officium 9. C. de R. V. l. communiter 7. §. nec celeniis, ff. commun. divid. leg.3. §. ult. cum l. ſequenti, ff. ad exhib. l. ſervi 16. ff. de periculo & commodo, l. ſi quis 10. §.1. l. qui bona fide 19. l. heredum 21. §. ult. ff. de acquir. poſſeſſ. l. non ſolum 33. §. quod vulgo, ff. de uſucap. l.2. §.1. ff. pro herede, l. in pœnam 12. §. ego, ff. quod vi, aut clam l.1. §. denique, ff. de vi, & vi; l. certo 6. §. is qui 2. ff. de prætor.* Quare Dominus per colonum ipſam poſſeſſionem retinet, *l. quadam 77. ff. de rei vindicat. leg. ſi pignus 37. ff. de pignorat. act. l. ſicut 10. §. ult. cum leg. ſequenti, l. cum in plures 60. §.1. ff. locati, l.3. §. ceterum 12. l. ſi id quod 25. §.1. l. qui univerſas 3. §. quod per colonum, ff. de acquir. poſſeſſ. l. nunquam 31. §. ſi ſervus, ff. de uſucap. leg.1. §. quod ſervus, ff. de vi & vi arm. leg.1. §. pen. ff. de itinere, alioque.* Igitur in præſenti caſu conductor nullam habebat poſſeſſionem, quam retinere poſſet. Pro cujus difficultatis ſolutione dicendum eſt, nonnullos eſſe caſus, in quibus conductor poſſidet. Primus eſt, ſi locatio ad longum tempus celebrata ſit, de qua accipiunt textus *in l. ſciendum 15. §.1. ff. qui ſatiſd. cog. leg.1. & fin. ff. ſi ager vectigal. leg. cum ſponſus 12. §. in vectigal. ff. de publiciana, l.3. §. ego, ff. de novi oper. nunc. l.1. l. quod ait Prætor 3. ff. de ſuperfi.* Caldas *de renovat. emphyt. l.1. q.11. n.7.* Brito *ad rubric. de locat. §.1. n.10.* Menochius *de recup. remed.1. n.68.* Valaſcus *de jure emphyt. q.18. per totam*, Valentia *t.2. illuſtr. tr.1. c.6. n.1.* Secundo quando in ipſa locatione expreſſe actum eſt inter contrahentes, ut poſſeſſio rei locatæ in conductorem transferatur, argumento legis *ſi abſenti 38. §. 1. ff. de acquir. poſſeſſ.* locatio enim fit diverſis reſpectibus, vel reſpectu propinquitatis, aut uſusfructus, *l. ſi quis domum 9. §.1. ff. locati*, Bartol. *in l. ſi quis aliquam 18. n.4. ff. de acquir. poſſeſſ.* vel reſpectu poſſeſſionis, *d. l. ſi quis aliquam*, quando res ipſa locatur: uſus autem cenſetur permiſſus, *l. qui rem, C. locati.* Imo quando is qui locat, poſſeſſionem ſolam habet, ei qui rei dominus eſt, uſum rei, vel poſſeſſionis præſtat, non ipſam poſſeſſionem, ut probat textus obſervandus *in l. ſi pignus 37. de pigneratitia action.* docet P. Faber *in l. nec pignus 45. de R. J.* Cum vero locatio fit reſpectu poſſeſſionis ipſius, ſive cum poſſeſſio ipſa locatur, nihil impedit dicere poſſeſſionem per contractum locationis transferri, quoniam translatio poſſeſſionis non requirens titulum perpetuum minori jure contenta eſt, & ſufficit titulus temporarius, qualis eſt locatio, precarium, pignoris datio, ſi id agatur ut poſſeſſio in accipientem tranſeat, ut docet Bart. *in l. quod in ſe manſit 18.* & *in l. ſi quis aliquam 18. n.6. hoc tit.* Utilitas conducendæ poſſeſſionis maxima eſt, quia quamdiu durat conductio, poſſeſſio ad conductorem pertinet: ergo ſi eam amittat, in rem agere poterit adverſus quemcumque detentorem, ut de ſuperficiario dicitur *in l. id eſt 73.* cum ſequentibus, *de rei vindicat.* & de creditoribus *in l. ſi fundus 16. §. in vindicatione, ff. de pignor.* licet antiquiores cum Bartolo *in d. l. 28.* dicant implicare contradictionem, ut quis ſit conductor, & ſimul poſſeſſor, nam facile non conſtat hæc contradictio; ſi enim poteſt quis precario rogare ut poſſideat, cur non poterit conducere ut poſſideat, ut conſiderat D. Joſeph. de Retes *in repetita prælect. ad tit. de acquir. poſſeſſ. 63. conſult. 2.* qui ad id probandum expendit textum *in l. ſi quis ante 10. §. ult. ff. de acquir. poſſeſſ.* & ſic præſens textus accipiendus eſt, quando locata fuit poſſeſſio ipſa.

# T I T U L U S V.

## De Magiſtris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

## C A P U T P R I M U M.

a *Ex Concilio Lateran.*

Quoniam Eccleſia Dei, & in iis, quæ ſpectant ad ſubſidium corporis, & in iis, quæ ad profectum proveniunt animarum, indigentibus ſicut pia mater providere tenetur, ne pauperibus, qui parentum opibus juvari non poſſunt, legendi, & proficiendi opportunitas ſubtrahatur, per unamquamque Cathedralem Eccleſiam *b* Magiſtro, qui clericos ejuſdem Eccleſiæ, & ſcholares pauperes gratis doceat, competens aliquod beneficium præbeatur, quo docentis neceſſitas ſublevetur, & diſcentibus via pateat ad doctrinam. In aliis quoque reſtituatur Eccleſiis, ſeu monaſteriis, ſi retroactis temporibus aliquid in eis ex hoc fuerit deputatum. Pro licentia vero docendi nullus omnino pretium exigat, vel ſub obtentu alicujus conſuetudinis ab eis, qui docent, aliquid quærat, nec docere quemquam, qui ſit idoneus, expetita licentia interdicat. Qui vero contra hoc venire præſumpſerit, ab eccleſiaſtico fiat beneficio alienus: dignum quippe eſſe videtur, ut in Eccleſia Dei fructum ſui laboris non habeat, qui cupiditate animi, dum vendit docendi licentiam, eccleſiaſticum profectum nititur impedire.

NOTÆ.

1 a Lateran. ) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c.2.* & in ipſo Concilio Lateran. *c.18.* reperitur textus hic: unde apparet, ſcholaſtriam, ſeu dignitatem magiſtri ſcholæ in Eccleſiis Cathedralibus cœpiſſe a temporibus hujus Concilii per annos Chriſti 1180. quod & docuerunt Petrus Greg. *l.15. ſyntag. c.19.* Azor. *2. p. inſtit. l.3. c.23.* Eſcobar *de Pontific. juriſd. c.8. n.41. & c.30. §.2.* & in Gallia hoc decretum Concilii renovatum fuit anno 1563. & ſancitum ut in ſingulis Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, in quibus plures eſſent quam decem Canonici, unius præbendæ fructus deſtinarentur uni, aut pluribus ſcholarum Magiſtris ab Epiſcopis approbandis ad inſtructionem puerorum, & juventutis, tam in litteris, quam in præceptis fidei catholicæ, ut referunt Chopinus *l.1. de ſacr. pol. tit.1. n.13. & 14.* Maynard. *in notab. q3. l.1. c.9.* Spondanus *in continuat. Baronii, an. 1563. num. 69.* & ſimiliter in Concil. Colonienſi *anno 1536. p. 12. c. 3.* idem cautum.

b *Magiſter.* ) Magiſter a monendo, vel monſtrando dictus eſt, *l. cui præcipua 57. ff. de V.S.* Caſſiod. *l.7. var.* ibi: "Reverendum honorem ſumit quiſquis Magiſtri nomen accepit, quia hoc vocabulum ſemper de peritia venit, & in nomine cognoſcitur, quid ſit de moribus æſtimandum." Et cujuſlibet diſciplinæ Præceptores Magiſtri dicuntur, *l. qualem 19. §. fin. ff. de receſſ.* Ovidius *l.1. eleg.4.* Illuſtrant Albericus Gentil. *in lection. Virg. c.4.* & ille, cui præcipua cura rerum incumbit, Magiſter appellatur, *d. l.57. & in tit. C. de Magiſtr. ſacror. ſcriniorum, magiſtr. militum*, & ſimilibus. Hinc pecoris magiſtros pro his, ad quos pertinet cura animalium, poſuerat Virg. *3. Georgic.*

—— *Non curat ovem, exhauriunt magiſtros.*

Varro *l.2. de re ruſtica*, ibi: "Magiſter pecoris ſine litteris idoneus eſſe non poteſt, quod rationes dominicas paſcuarias conficere nequaquam recte poteſt." Et magiſter dicitur, qui ex numero creditorum præfectus eſt patrimonio debitoris vendendo, *leg. ult. ff. de curat. bonis dando*, probat Briſſonius *de V. S. verbo Magiſtri.*

## C A P U T II.

Alexand. III. a *Vointon. Epiſcopo.*

Prohibeas attentius, ne in parochia tua pro licentia docendi ab aliquo aliquid exigatur, aut etiam promittatur. Si quid vero poſt prohibitionem tuam fuerit ſolutum, vel promiſſum; promiſſum remitti, ſolutum facias appellatione ceſſante reſtitui, ſciens quod ſcriptum eſt: Gratis accepiſtis, gratis date. Sane ſi aliquis occaſione hujus prohibitionis diſtulerit Magiſtros in locis congruis inſtituere, liceat tibi de conceſſione noſtra, omni contradictione, & appellatione poſtpoſita ibidem viros providos, & diſertos aliorum inſtructioni præficere.



NOTÆ.

N O T Æ.

a V*iriatro.* ) Ita etiam legitur poſt Concilium Lateran. *part.* 2. *cap.* 17. & in prima collectione, *ſub hoc tit. capit.* 2. ubi additur *Pars capitis Nuncius*, ut cognoſcamus, in præſenti referri partem textus *in capite nuncios, de dolo mis*.

## C A P U T III.

a Idem.

QUanto Gallicana Eccleſia majorum perſonarum ſcientia, & honeſtate præfulget, & eo cautius nititur cavere, quæ confundere videantur eccleſiaſticam honeſtatem; tanto vehementiori dignos animadverſione eos cenſemus, qui nomen Magiſtri ſcholarum, & dignitatem aſſumunt in Eccleſiis veſtris, & ſine certo pretio eccleſiaſticis viris docendi alios licentiam non impendunt. Cum autem hæc prava, & enormis conſuetudo a cupiditatis radice procedat, & decorem admodum eccleſiaſticæ unitatis confundat, providendum vobis eſt, & ſummopere ſatagendum, ut conſuetudo ipſa de Eccleſiis veſtris extirpetur, cum vobis præcipue, & ſpecialiter adſcribatur ſi quid in Eccleſiis eiſdem laude dignum inveniatur, vel reprehenſione notandum. Sub anathematis ergo interminatione cunctis, nequi dignitatem (ſi dignitatem dici poteſt) fingentes, pro præſtanda licentia docendi alios, ab aliquo amodo exigere aliquid præſumant, ſed eis diſtricte præcipiatis, ut quicumque viri idonei, & litterati volunt regere ſtudia litterarum, eos ſine moleſtia, & exactione qualicumque ſcholas regere patiantur: ſi vero noſtræ prohibitionis, vel præcepti extiterint tranſgreſſores, eos noſtra auctoritate, & veſtra, officiis, & dignitatibus ſpolietis. Porro ſi juxta mandatum noſtrum corrigere neglexeritis, negligentiam veſtram gravem habebimus, & moleſtam, & ad eam corrigendam manum extendere compellemur, ita quod ſi velint in hujuſmodi rapacitatis propoſito perſiſtere, non valebunt.

N O T Æ.

a I*Dem.* ) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.* 3. & poſt Concil. Later. *part.* 1. *cap.* 18. Ex Vincentio tamen refert Anton. Auguſt. *in notis ad hanc tertiam*, conſtitutionem hanc emanaſſe contra Cancellarium Pariſienſem, qui a quolibet publice docente marcham unam argenteam exigebat.

## C A P U T IV.

Idem a *in eodem*.

QUia nonnullis propter inopiam, & legendi ſtudium, opportunitas proficiendi ſubtrahitur, in Lateran. Concilio pia fuit conſtitutione proviſum, ut per unamquamque Cathedralem Eccleſiam Magiſtros, qui clericos ejuſdem Eccleſiæ, aliosque ſcholares pauperes gratis inſtrueret, aliquod competens beneficium preberetur, quo & docentis relevaretur neceſſitas, & via pateret diſcentibus ad doctrinam. Verum quoniam in multis Eccleſiis minime obſervatur, nos prædictum roborantes ſtatutum adjicimus, ut non ſolum in qualibet Cathedrali Eccleſia, ſed etiam in aliis, quorum ſufficere potuerint facultates, conſtituatur magiſter idoneus, a Prælato cum Capitulo, ſeu majori, & ſaniori parte Capituli eligendus, qui clericos Eccleſiarum ipſarum, & aliarum gratis in Grammatica facultate, ac aliis inſtruat juxta poſſe. Sane Metropol. Eccleſia Theologum nihilominus habeat, qui ſacerdotes, & alios in ſacra Pagina doceat, & in his præſertim informet, quæ ad curam animarum ſpectare noſcuntur. Aſſignetur autem cuilibet magiſtrorum a Capitulo unius præbendæ proventus, & a Metropolitano tantumdem; non quod propter hoc efficiatur Canonicus, ſed tamdiu reditus illos percipiat, quamdiu perſtiterit in docendo. Quod ſi forte de duobus Metropol. Eccleſia gravetur, Theologo juxta modum prædictum ipſa provideat, Grammatico vero in alia Eccleſia ſuæ civitatis, ſive diœceſ. quæ ſufficere valeat, faciat provideri.

N O T Æ.

a G*Enerali.* ) Lateranenſi videlicet ſub Innocentio III. celebrato, ubi *c.* 11. reperitur textus hic, necnon in quarta collectione, *ſub hoc tit. c. unic.*

COMMENTARIUM.

1 Concluſio traditur, & probatur. IN his quatuor conſtitutionibus una, eademque ſententia proponitur, videlicet: *In qualibet Eccleſia Cathedrali providendum eſſe de Magiſtro, qui clericos ſcholares pauperes doceat, & ne pro licentia docendi aliquid exigatur.* Quod etiam cautum lego *in c. quibuſdam* 12. 37. *diſt. c.* 3. *de vita, & honeſt. cleric.* Concil. Cabilon. ſub Carolo, *can.* 3. *Scholas Epiſcopi conſtituant, in quibus & litteralis ſolertiæ diſciplina, & ſacræ Scripturæ documenta diſcantur.* Valentinum ſub Lothar. *c.* 18. Tullenſe *par.* 2. *c.* 10. *Deprecandi ſunt pii Principes noſtri, & omnes Fratres, & Coepiſcopi noſtri inſtantiſſime commonendi, ut ubicumque omnipotens Deus idoneos ad docendum, idest fideliter, & veraciter intelligentes, donare dignatur, conſtituantur undique ſcholæ publicæ, ut utriuſque eruditionis, & divinæ ſcilicet, & humanæ, in Eccleſia Dei fructus valeat accreſcere.* Concil. Meldenſe *can.* 35. Synodus Romana ſuaſu Ludovici, & Lotharii habita, *can.* 3. ibi: *Magiſtri, & Doctores in ſingulis locis conſtituantur, qui liberales artes aſſidue doceant; & ſi tales non inveniantur, tum divinæ Scripturæ Magiſtri, & inſtitutores eccleſiaſtici officii nullatenus deſint.* Alexand. III. Rhemenſi Archiepiſcopo ſcribens *in c. unic. hoc tit. in* 2. *collect.* ibi: *Nos autem in Concil. Lateran. nuper auctoritate Domini celebrato, ac tota Eccleſia, quæ convenerat, approbante, ſtatuimus, ut per ſingulas eccleſias Cathedrales ad ſubſidium magiſtri, qui ſcholas regat, præbenda una debeat deputari. Quocirca ne in vacuum decreta, quæ recta ſunt, fieri videantur, ſi per noſtram, & Epiſcoporum inſtantiam non fuerint obſervata, tuæ fraternitati mandamus, quatenus ad Eccleſias ſuffraganeas accedas, & ad opus Magiſtri, qui ſcholas regat, aliquod reſtituas beneficium.* Leo X. *in concord. cum Franciſco Rege Franciæ*, §. 1. *tit. de collat.* Theodulf. *ad presbyteros Aurelian. c.* 19. & 20. refert Ant. Auguſt. *in epit. jur. l.* 24. *tit.* 9. Trid. *ſeſſ.* 5. *de reform. c.* 18. Illuſtrant ultra congeſtos in præſentia Barb. Cyclol. *l.* 2. *miſcag. c.* 16. Suar. *t.* 2. *de Relig. l.* 4. *c.* 28. Corvin. *l.* 4. *aphoriſm. tit.* 4. Lamdmeter, *l.* 2. *de veteri monacho, c.* 107. Acunna *in c. de eulogiis*, 18. *d.* Duaren. *l.* 3. *de ſacris Eccleſ. c.* 15. Boſquet. *ad Innoc. III. l.* 3. *ep.* 114. Robert. *l.* 3. *rer. judic. c.* 2. P. Mendo *de jure academico*, *l.* 1. *c.* 17. Petr. Greg. *l.* 15. *ſyntag. c.* 14. Zypæus *in conſult. canonic. de magiſtr. c.* 1. Chopinus *de ſacra pol. l.* 1. *tit.* 5. *n.* 17. Conradus Kling. *l.* 4. *loc. commun. c.* 57.

2 Impugnatur hæc aſſertio. Sed pro dubitandi ratione in præſentem aſſertionem ita inſurgo. Epiſcopi proprium officium eſt populum in Eccleſia docere, ut probat Barb. *de poteſtate Epiſc. p.* 1. *tit.* ... *gloſſ.* 10. Ergo non deſideratur ut in Eccleſiis Cathedralibus magiſter eligatur, aut conſtituatur ad docendum. Accedit, nam etſi magiſter inſtitui debeat, ut publice doceat ſacram Theologiam, vel ſacros Canones, tamen Grammaticæ doctrina non decet Canonicum: unde D. Greg. relatus *in c. cum* ..., 37. *d. cap. cum multa*, 86. *d.* objurgat quemdam Epiſcopum, eo quod Grammaticam profiteretur: ergo pro Grammatica docenda non debet Clericus magiſter in Eccleſia Cathedrali inſtitui. Secunda etiam pars aſſertionis difficilis redditur, dum in ea docetur, non poſſe recipi pretium pro concedenda licentia docendi; nam pro docendo, vel non, impune pecunia recipitur, etſi de ſacra Theologia agatur; quia licet ſcientiæ ſint res ſpirituales, procedunt tamen ab ſpiritu creato, laboreque acquiruntur, ut probant Bineſeldius *in rubric. de Simonia*, Gibalinus *ead. tr. q.* 6. *conſect.* 4. Accedit uſus majorum Academiarum, in quibus pro gradibus concedendis in omnibus Facultatibus pecunia exigitur, quem uſum probat, & defendit P. Mendo *l.* 2. *c.* 21. *de jure academico, per tot.* Igitur quia pro doctrina ipſa, & pro licentia docendi impune pecunia exigitur.

3 Deſtiſio, rem utilitate. Qua dubitandi ratione non obſtante, vera eſt præſens aſſertio, pro cujus expoſitione ſciendum eſt, litterarum cognitionem, liberaliumque artium diſciplinam, quibus juventus in publicis Gymnaſiis eruditur, magnam Reipublicæ utilitatem afferre, ut teſtatur Plut. *de inſtituendis liberis*, ibi: *Per hanc enim, atque hac adjuvante noſſe licet, quid honeſtum, quid turpe, quid juſtum, quid iniquum, breviter quid expetendum, quid fugiendum, quemadmodum erga Deos, quemadmodum erga parentes, qui erga majores natu, qui erga leges, qui adverſus Magiſtratus, qui adverſus alienos, qui adverſus amicos, qui adverſus conjuges, qui adverſus ſervos nos gerere debeamus, Deos ut colamus, parentes ut honoremus, majores natu ut revereamur, legibus pareamus, Magiſtratibus audientes ſimus, amicos diligamus, caſte cum conjugibus agamus; pietatem in liberos exerceamus, in ſervos non ſæviamus, & quod caput eſt, rebus ſecundis ne nimis gaudeamus, neque nimium animum contrahamus rebus adverſis; neque in voluptatibus effundamur, nec iræ excandeſcamus, vel efferati ſimus.* Ideo in omni-



omnibus Rebuſpublicis bene moratis prima cura fuit ſcholarum publicarum, ut eſſent magiſtri, qui publice Grammaticam, ceteraſque artes profiterentur, & docerent, publico illis ſtipendio conſtituto. De Republica Hebræorum, ubi erant ſcholæ Prophetarum, & Scribarum, late agit Hallier. *de Eccl. hierar. lib.* 1. *c. per*, & de veteribus collegiis patrum, ubi pueri erudiebantur, plura adducit Vivar. *ad Flav. Dextrum, ann.* 385. apud Romanos Adrianum Cæſarem magno laudum præconio commendat Lampridius, quod academias inſtituiſſet, & eorum ſtudioſus eſſet, qui liberales artes profitebantur. Et Alexius Comnenus ſcholam inſtituit, qua pupilli, pauperumque liberi docerentur, victumque & alimenta, tam docentibus, quam diſcentibus aſſignavit, teſte Zonara *to.* 3. *p.* 129. & ſtipendia non vulgaria eſſe Profeſſoribus ſtudiorum aſſignanda, docetur *in l. un. C. de ſtudiis liberalib. l. medicos*, §. *fin. C. de Profeſſor. & Medicis*, *lib.* 11. *l.* 1. *C. Theod. eod. tit.* Plura Theoph. Raynaud. *to.* 11. *in Theomedia rei literariæ, fol.* 427. quia & Athalaricus Rex Senatui Romano de ſtipendiis profeſſoribus ſolvendis ita ſcribit apud Caſſiod. *lib.* 9. *ep.* 21. „Filiorum cauſas jure ad patrum cogitationes remiſiſſe perſonas, ut ipſi de illorum profectu debeant cogitare quorum intereſt ſtudia Romana proficere. Neque enim credendum eſt, vos inde poſſe minus eſſe ſolicitos, unde & generi veſtro creſcit ornatus, & cœtui provenit aſſidua lectione conſilium. Nuper, ut eſt de vobis cura noſtra ſolicita, quorumdam ſuſurratione cognovimus, Doctores eloquentiæ Romanæ laboris ſui conſtituta præmia non habere, & aliquorum nundinatione fieri, ut ſcholarum magiſtris deputata ſumma videatur imminui. Quapropter cum manifeſtum ſit, pretium artes nutrire, nefas judicavimus, doctoribus adoleſcentium aliquid ſubtrahi, qui ſunt potius ad glorioſa ſtudia per commodorum augmenta provocandi. Primo enim Grammaticorum ſchola eſt fundamentum pulcherrimum litterarum, mater glorioſa facundiæ, quæ cogitare novit ad laudem, loqui ſine vitio: hæc in curſu orationis ſic errorem cognoſcit abſonum, quemadmodum boni mores crimen deteſtantur externum. Nam ſicut Muſicus conſonantibus choris efficit dulciſſimum melos, ita diſpoſitis congruenter accentibus metrum novit decantare Grammaticus. Eſt Grammatica magiſtra verborum, ornatrix humani generis, quæ per exercitationem pulcherrimæ lectionis, antiquorum nos cognoſcitur juvare conſiliis. Hac non utuntur barbari Reges; apud legales Dominos manere cognoſcitur ſingularis. Arma enim & reliquæ gentes habent: ſola reperitur eloquentia, quæ Romanorum dominis obſecundat. Hinc oratorum pugna civilis juris claſſicum canit. Hinc cunctos proceres nobiliſſima diſertitudo commendat. & ut reliqua taceamus, hoc quod loquimur, inde eſt. Quæ de re P.C. hanc vobis curam, hanc auctoritatem propitia divinitate largimur, ut ſucceſſor ſcholæ liberalium litterarum, tam Grammaticus, quam Orator, necnon & juris Expoſitor, commoda ſui deceſſoris ab eis, quorum intereſt, ſine aliqua imminutione percipiat: & ſimul Primi Ordinis veſtri, ac reliqui Senatus ampliſſimi auctoritate firmatus, donec ſuſcepti operis idoneus reperitur, neque de transferendis, neque de imminuendis annonis a quolibet patiatur improbam quæſtionem: ſed vobis ordinantibus atque cuſtodientibus, emolumentorum ſuorum ſecuritate potiatur, Præfecto urbis nihilominus conſtituta ſervante.„ Plura congeſſerunt de Academiarum utilitate Loſeus, Oldendorpius, & P. Mendo *in tract. de jure academico*, Adam Contzen *lib.* 4. *polit. c.* 4. Frances *de Eccleſ. Cathed. cap.* 28. Beſold. *tom.* 2. *polit. integro tract. de jure academ.* Alteſerra *lib.* 6. *diſſert. c.* 7.

4 De Scholis Eccleſiæ. Nec minor cura fuit apud veteres Eccleſiæ Patres inſtituendi ſcholas, in quibus litterarum ſtudia publice profiterentur, ut conſtat ex Conc. Aquiſgr. relato *lib.* 1. *Capit. Caroli, c.* 72. ibi: *Ut ſcholæ legentium puerorum fiant*: Et *lib.* 2. *capit. c.* 5. ibi: „Scholæ ſane ad filios, & miniſtros Eccleſiæ inſtruendos, vel educandos, ſicut nobis præterito tempore apud Attiniacum promiſimus, & vobis injunximus, in congruis locis, ubi nondum perfectum eſt, ad multorum utilitatem, & profectum a vobis ordinari non negligantur.„ Valenſe 2. *c.* 1. Conc. Mogunt. ſub Carolo *can.* 45. *Propterea dignum eſt, ut filios ſuos donent ad ſcholam, ſive ad monaſteria, ſive foras.* Et in Conc. Arelaten. 6. *can.* 4. Turon. 2. *can.* 18. *&* 22. Rhemenſi *can.* 4. *&* *tribus ſeq.* Epiſcopis præcipitur, & injungitur, ut privatim, publiceque presbyteros, ac clericos ſuos, tam de Sacramentorum adminiſtratione, quam aliis ſacris functionibus erudiant, atque inſtruant. Et de publicis ſcholis inſtituendis expreſſius ita cenſuerunt PP. Concilii Pariſ. *lib.* 3. *c.* 12. „Similiter obnixe, & ſuppliciter veſtræ Celſitudini ſuggerimus, ut morem paternum ſequentes, ſaltem in tribus congruentiſſimis Imperii veſtri locis ſcholæ publicæ ex veſtra auctoritate fiant, ut labor Patris veſtri, & veſter per incuriam (quod abſit) labefactando non depereat. *Conc. Valent.* 3. *can.* 18. *in Gallia*: De ſcholis, tam divinæ, quam humanæ litteraturæ, necnon eccleſiaſticæ cantilenæ juxta exemplum prædeceſſorum noſtrorum aliquid inter nos tractetur, & ſi poteſt fieri, ſtatuatur, atque ordinetur.„ Conc. Ligon. cujus canones relecti, & confirmati fuerunt in Synodo apud Sapinarias in Gallia, *can.* 10. Idem in Hiſpania repetitis canonibus cautum legimus in Conc. Emerit. *can.* 18. Tolet. 2. *can.* 1. Tolet. 4. *can.* 24. quæ, & alia veteris juris teſtimonia referunt Ant. Aug. & Hallier. ubi ſupra: & varias Eccleſiarum ſcholas refert Alteſerra *hic*, & *lib.* 2. *diſſert. c.* 7. Nec ſolum in Eccleſiis, & Epiſcopiis, olim ſcholæ habebantur, verum & in monaſteriis ſcholæ erant. Ekkardus *lib. de caſ. monaſt. S. Galli, c.* 6. ibi: „Erant diſciplinæ loci, ut ſemper, & nunc ſevere, non modo in clauſtro, ſed & in ſchola exterius.„ Ex Conc. Mogunt. ſupra relato: & varias monaſteriorum ſcholas refert Gibalin. *de clauſur. reg. diſq.* 1. *c.* 3. §. 11. & plura de his ſcholis in monaſteriis olim aſſitatis congeſſerunt Lamdin. *lib.* 2. *de veter. monach. c.* 107. Fileſac. *in c.* 15. §. 3. *de obſer. Ord.* Boſq. *in notis ad Innoc. III. lib.* 3. *regeſt.* 14. *ep.* 114. Sherlog. *to.* 3. *in Cantica, veſtig.* 35. *c.* 2. *ſect. un.* qui Salmantic. noſtram Academiam debitis extollit laudibus. Nec contrarium probat canon 45. Concilii Aquiſg. in illis verbis: *Ut ſchola in monaſterio non habeatur, niſi eorum, qui oblati ſunt.* Nam pro hujus canonis expoſitione ſciendum eſt, præter ſcholas proxime relatas, fuiſſe alias privatas intra clauſtra, in quibus qui clericali, aut monachali officio deſtinabantur, a monacho ſibi prapoſito erudiebantur. Conc. Tolet. 2. *can.* 1. Tolet. 4. *can.* 23. ubi conſtituitur, ut qui in Clero puberes, aut adoleſcentes exiſtunt, omnes in uno conclavi atrii commorentur, & in diſciplinis eccleſiaſticis agant deputati probatiſſimo ſeniori, quem & magiſtrum diſciplinæ, & teſtem vitæ habeant. Conc. Turon. 2. *can.* 14. Aquiſ. *can.* 135. Erant ergo in monaſteriis ſcholæ exteriores, ubi laici etiam erudiebantur; & interiores, ubi monachi, & pueri oblati educabantur: conſtat ex Ekkardo *d. c.* 6. & *c.* 10. ibi: *Cum apud Sanctum Gallum ambæ ſcholæ tenerentur, nemo præter ſuſceptos quidquam alteri, niſi latine, uſus eſt proloqui.* Nec in eis ſcholis alii admittebantur præterquam oblati, & clerici juniores probatæ vitæ. Unde Theodulph. Aurelian. *ad Presbyteros, c.* 19. nepotibus ſacerdotum conceſſit, ut etiam ſcholas interiores monaſterii poſſent adire, ibi: „Si quis ex presbyteris voluerit nepotem ſuum mittere ad ſcholam in Eccleſia ſanctæ Crucis, aut monaſterio S. Aniani, S. Benedicti, aut S. Liſardi, aut in ceteris de his cœnobiis, quæ nobis ad regendum conceſſa ſunt, ei licentiam faciendi id concedimus.„ Unde textus *in d. c.* 45. accipiendus eſt de his ſcholis privatis intra monaſteria exiſtentibus, ut docuerunt Boſquet. *ad Innoc. epiſt.* 114. Hallierus *d. art.* 5. Yepes *to.* 3. *chron. D. Benedicti, ad calcem libri, in notis ad ipſum canonem*, Alteſerra *lib.* 6. *diſſert. c.* 7.

5 Traditur ratio decidendi. His ita animadverſis, & aliis ſuppoſitis, quæ pro ſtudiorum neceſſitate, & utilitate congeſſimus *in c. ſingt, de præbend.* ratio præſentis aſſertionis provenit ex eo, nam cum Eccleſiæ PP. agnoviſſent, ita neceſſarium eſſe ſtudium litterarum in pueris, & in adultis, ſtatuerunt, ut in Eccleſiis Cathedralibus eſſent clerici, qui Grammaticam docerent, & in Eccleſiis Metropolitanis publice Theologiam legerent, & magna cum ratione, ſi attendamus perſonam magiſtri, & loci, ubi ſcientiæ doceri jubentur. Perſona docentis eſt clericus, cujus proprium eſt erudire pueros, & ignaros. Synodus Nicæna celebrata anno 787. *can.* 10. ibi: „Non licet clericis curas ſeculares, & ad victum pertinentes ſuſcipere, ut qui ſint a canonibus prohibiti hæc facere: potius autem ad docendos pueros, & ſervos accedant, legentes ei divinas ſcripturas: ad hoc etiam ſacerdotium ſortiti ſunt.„ Conc. Tolet. 2. *can.* 1. ibi: *Clericos in domo Eccleſiæ ſub Epiſcopali præſentia a Præpoſito ſuo erudiri debere.* Tolet. 4. *can.* 24. Emerit. *can.* 18. Valenſe 2. *can.* 1. Inde acriter controverſiam video inter Cellotium, & Hallierium, an officium docendi ſpectet ad Eccleſiæ hierarchiam. Ratione etiam loci, ubi doceri jubentur in præſenti, etiam valde conſona eſt diſciplinæ Eccleſiæ præſens aſſertio; cum, ut ſupra retuli, ſcholæ olim frequentiſſime eſſent in Eccleſiis, monaſteriis, aut prope ea: cujus moris ratio traditur in oratione Rhetoris ad V. P. Præſidem Galliæ ſub Conſtant. Imperatore, his verbis: *Maxime & aperte, & fas eſt exercere juventutis ingenia, ubi tam propinqua ſunt numina amica doctrinæ, ubi ex proximo juvat mens divina ſapientiam.* Et quondam apud veteres Bibliothecæ, vel in ipſis Deorum templis, vel vicinis ædibus collocatæ erant, ut Tertull. in *Apolog. c.* 19. refert; cum & Cedrenus in Juſtino Curopalate, dum narrat hiſtoriam pueri Judæi a patre in clibanum ardentem conjecti ob ſumptas ſanctæ Euchariſtiæ reliquias una cum ſodalibus Chriſtianis, ſcribit ſcholam unde pueri illi redibant, Eccleſiæ vicinam fuiſſe. Recte ergo conſtitutum fuit in Conc. Later. in præſenti relato, ut in qualibet Eccleſia eſſet unus magiſter, qui pueros, clericoſque doceret. Et licet ſcholæ hæ, tam puerorum, quam clericorum, omnino exerceri deſierint, quia in omnibus fere provinciis ſunt generalia ſtudia in majoribus urbibus; tamen in Eccleſiis remanſerunt præbendæ Theologales, quæ Theologis aſſignantur, & Scholaſtria, qui Canonicus appellatur Scholaſticus *in c. quoniam, h. t.* Magiſter ſcholæ, ſeu Scholarum *in c.* 4. *de poſtul. Prælat. c.* 5. *de reg. in* 5. *compil.* Primicerius *in c. conſtitutus* 23. *de appellat.* & in pleriſque Eccleſiis nomen hoc Magiſtri ſcholarum adhuc manſit: in aliis vero in locum Scholaſtici ſucceſſit Cancellarius Univerſitatum, qui ſublato Scholaſtici nomine, dignitatem retinet, & ſimul eſt Cancellarius generalis Studii, cui Apoſtolica auctoritate competit jus concedendi Gradus, ut ſupponitur *in c.* 4. juncta inſcriptione, *de arbitr. c. fin. de lite non conteſt.* & obſervatur in noſtra Academia Salmanticenſi, ubi Magiſter Scholæ, qui præbendam cum dignitate in Eccleſia Cathedrali habet, eſt ſimul Cancellarius Univerſitatis. De cujus juriſdictione, & dignitate late agunt Eſcobar, & P. Mendo *ubi ſup.* Aliquando Scholaſticus, & Cancellarius idem non eſt, ut *in c. conſtitutis* 46. *de appel.* Et licet olim inter DD. quæſtio excitaretur, an Magiſter Scholæ dignitatem haberet, ut conſtat ex traditis a Paciano *de prob. lib.* 1. *c.* 12. *a n.* 107. jam tamen hodie ex ſtatutis Eccleſiarum Scholaſteria una eſt e principalibus dignitatibus, ut probat Pet. Gr. *lib.* 5. *ſyntag. c.* 19. Azor *p.* 2. *inſtit. mor. lib.* 3. *c.* 23. Cæſar. *de Eccleſ. hierar. p.* 3. *diſp.* 12. §. 4. Barboſ. *de Canonicis, cap.* 10.

6 Diſſolvitur dubitandi ratio. Nec obſtat dubitandi ratio ſupra adducta, nam licet Epiſc. proprium officium ſit populum in Eccleſia docere; tamen etiam alios eſſe debere in Eccleſia Dei Doctores, conſtat ex D. Paulo

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.

Prado *ad Epiſt. c. 4.* & ex illis canonibus, ubi docetur Doctoris nomen ſibi aſſumere neminem poſſe, niſi qui ad illud munus electus eſt. Conc. Cæſaraug. *can. 7.* ibi: *Item iſtum eſt, ne quis Doctoris nomen ſibi ſumeret præter eos perſonas, quibus conceſſum eſt, ſecundum quod ſcriptum eſt: & ab univerſis Epiſc. dictum eſt, Placet.* Et ita licet Epiſcopus ratione officii teneatur in communi populum docere, tamen ſpeciales magiſtri conſtitui debent ad Grammaticam pueros docendam, ut in præſenti conſtituitur. Nec obſtat augmentum ipſius difficultatis, deductum *ex d. c. cum multa*; nam in ejus caſu reprehenditur a D. Greg. Epiſc. qui omnino deditus erat ſtudio Grammaticæ, & humanarum litterarum, Theologiam omittendo, & negligendo, ut docuit Ramirez de Prado *in ſcholiaſte, n. 53.* & notavimus *in c. 6. de tranſc. & qualit.* ubi expoſuimus, quatenus liceat clericis, & Eccleſiæ miniſtris lectio librorum Gentilium. Nec obſtat alia difficultas, nam in præſenti non prohibetur exactio pecuniæ per Magiſtrum a diſcipulis pro doctrina ſcientiarum, ſeu erudiendis ipſis; nam certum eſt, in hujuſmodi pretii exactione nullam committi ſimoniam, etſi Theologia doceatur, aut ſi Advocatus conſilium vendat in cauſa ſpirituali, *c. non licet, 11. q. 3. c. non ſane, 14. q. 5.* quia hujuſmodi ſcientiæ procedunt a labore naturali, ut defendunt Gibalin. & Binsfeld. *ubi ſup.* P. Mendo *de jure academico, lib. 3. c. 10.* Unde ſtipendia, & ſalaria Præceptorum jure civili approbata fuerunt. Quare Paulus, & Julianus docuerunt *in l. cum tutoris 12. §. 3. ff. de adminiſtr. tut. l. 4. ff. ubi pupil. educari*, pro dignitate natalium pupilli tutores poſſe conſtituere mercedem Præceptoribus, & *in l. duo 71. ff. pro ſocio*, refertur duos ſocietatem iniiſſe, ut Grammaticam docerent certo ſtipendio, & ſalario conſtituto. Pro quorum illuſtratione adiri poſſunt Revard. *lib. 2. conject. c. 10. & 19.* Rodul. Forner. *in notis ad Caſſiod. lib. 4. epiſt. 1.* Suar. de Mendoza *ad l. Aquil. lib. 2. c. 3. ſect. 6. ex n. 16.* Merill. *lib. 4. prior. obſerv. c. 1. & 17.* Cujac. *lib. 58. Pauli ad edict.* [illegible] 3. Et ſalaria hæc plerumque appellabantur mercedes Marc. Tull. *in Philip. At quanta merces Rhetori eſt data, audite Patres Conſcripti.* Author de Claris Grammaticis, de Lælio Præconino loquens: *Pretia Grammaticorum tanta, mercedeſque tam magnæ.* Et *l. 4. §. ſed & ſi, de decret. ab ordin. faciend.* D. Hieron. *ad Pammachium epiſt. 101. Qui bilinguem magna mercede nihil ſcire docuerunt.* Auſon. *de Ecnutatio:*

*—— Tunc pueros grandi mercede docendi.*

Juvenal. *Satyr. 7.* Macrob. *lib. 1. c. 12.* Illuſtrat Savar. *ad Sidon. lib. 5. epiſt. 9. f. 334.* Illud notandum, retributionem profeſſorum Juris, & Philoſophiæ, non appellari mercedem, ſed honorem, *d. l. 1. §. in & Philoſophis, ff. de variis, & extraord.* Rhetores vero, & Grammaticus ſtipendium & mercedem accipere, *d. l. Aquiliae.* Quod ſtipendium dicebatur Minerrale. Notavit Rhetes *de donationib. c. 3. n. 12.* Et diſcipulos Magiſtros ſuos muniſcentiis dicare debere, deducitur *ex l. Aquilius, ff. de donat.* & Sabinum a ſuis ſcholaribus fuiſſe ſuſtentatum, refertur *in l. 2. ad fin. ff. de orig. juris*: & ideo utiliter a negotiorum geſtoribus fiunt expenſæ pro mercibus magiſtrorum, *l. ſi patrono, C. de negot. geſt.* Imo Præceptores, quibus promiſſum ſtipendium non ſolvitur, extra ordinem audiri docetur *in l. 1. §. 1. ff. de extraord. cognit.* & probarunt Cujac. *in l. un. C. de ſtudiis liber. lib. 11.* Giphanius *ad Ethic. Ariſt. lib. 9. c. 1.* Revardus *lib. 1. conject. cap. 10.* ubi exponunt Juvenalem *Satyr. 10.* in illis verbis:

*Eloquium, aut famam Demoſthenis, aut Ciceronis*
*Incipit optare, & totis quinquatribus optat*
*Quiſquis adhuc uno partam colit aſſe Minervam,*
*Quem ſequitur cuſtos anguſtæ vernula capſæ.*

Si vero Magiſter beneficium, aut publicum ſtipendium ſufficiens habeat, pretium aliquod a diſcipulis exigere non valet *c. 1.* juxta veram lectionem, *h. t.* ſponte tamen oblata eo caſu a diſcipulis recipere non prohibetur, *c. preſbyter 30. q. 3. c. de eulogiis, 18. diſt. c. quidquid, c. placuit 1. q. 1.* Prohibetur ergo in præſenti pro licentia docendi concedenda pretium exigere; non quia id Simonia ſit, ut vulgo creditum eſt, ſed quia ad Simoniæ crimen accedit, qui avara cupiditate pro licentia docendi aliquid temporale extorquet a doctis viris, qui ad ſcientiarum, bonarumque literarum cognitionem aditum patefaciunt, & muniunt, quos decet potius precibus, & muneribus ad docendum invitari. Nec obſtat quod expendebamus de uſu in academiis recepto exigendi pretium pro gradibus Bachalaureatus, Magiſterii, & Doctoratus; nam talis pecunia non exigitur pro licentia docendi, ſed pro honoribus, & emolumentis temporalibus, quibus ſimiles graduati perfruuntur. Quæ omnia ſunt naturalia, & pretio æſtimabilia. Unde quo celebriores Academiæ ſunt, & majora commoda graduati aſſequuntur, majora ſolent ſtipendia, vulgo *propinas*, perſolvi, ut probat P. Mendo *de jure academ. lib. 2. q. 11. per tot.* Hinc exponendus erat canon 51. Synodi ſextæ: ſed ejus interpretationem dedimus *in c. 8. de vita, & honeſt. cler.*

## CAPUT ULTIMUM.

a Honorius III.

SUper ſpecula. *Et infra:* Cum itaque de ſingulis provinciis puellæ ſpecioſæ, ac virgines pro Rege Aſſuero, qui Beatitudo dicitur, per ancillas quæri debeant, & adduci ad arcem, & mœnia civitatis, & per manum Aggei mundum muliebrem accipere, neceſſariorum videlicet fulcimenta: volumus, & mandamus, ut ſtatutum in Concilio *b* generali de Magiſtris Theologis per ſingulas Metropoles ſtatuendis inviolabiliter obſervetur, decernentes inſuper de conſilio fratrum noſtrorum, ac diſtricte præcipiendo mandantes, ut quia ſuper hoc propter raritatem magiſtrorum ſe poſſent forſitan aliqui excuſare, ab Eccleſiarum Prælatis, & Capitulis ad Theologiæ profeſſionis ſtudium aliqui docibiles deſtinentur, qui cum docti fuerint, in Dei Eccleſia velut ſplendor fulgeant firmamenti, ex quibus poſtmodum copia poſſit haberi Doctorum, qui velut ſtellæ in perpetuas æternitates manſuri, ad juſtitiam valeant plurimos erudire: quibus ſi proprii proventus Eccleſiæ non ſufficiunt, prædicti neceſſaria ſubminiſtrent; docentes vero in Theologica Facultate, dum in ſcholis docuerint, & ſtudentes in ipſa integre per *c* annos quinque percipiant de licentia Sedis Apoſtolicæ proventus præbendarum, & beneficiorum ſuorum, non obſtante aliqua contraria conſuetudine, vel ſtatuto; cum denario fraudari non debeant in vinea Domini operantes. Hoc autem inconcuſſe volumus obſervari, firmiter diſponentes, quod *d* feriamus pœna debita tranſgreſſores.

### NOTÆ.

1 a HOnorius III.) Ita etiam legitur in quinta collectione, *ſub hoc tit. c. unic.* & tam Inſcriptionem, quam hujus textus hiſtoriam recuſ. *in c. ſuper, ne cler. vel monach.*

2 b Generali.) Lateranenſi videlicet, relato ſupra *in c. quoniam.*

c Annos quinque.) Hoc tempus non refertur ad docentes, ſed ad ſtudentes, qui per quadriennium, aut quinquennium ſolent ſtudiis intereſſe pro diverſitate ſcientiarum: de quo temporis ſpatio agit Mancinus *Gener. cent. 2. cap. 151.* quem tranſcripſit Barboſa *tom. 6. in ſelect. ad hunc textum.*

d Feriamus.) Idest excommunicatione ligemus, ut etiam accipitur ſæpe *in c. 6. de rebus Eccleſ.* ibi: *Anathemate feriatur: & in can. 5. Synodi Vernenſ. can. 7. Concilii Mogunt.* & aliis vulgatis.

Commentarium hujus textus dedimus *in c. licet, de præbend.*

# TITULUS VI.

## De Judæis, & Saracenis, & eorum ſervis.

## CAPUT PRIMUM.

*Ex Concilio a Maticenſi.*

ET licet quid de Chriſtianis, qui aut captivitatis incurſu, aut quibuſcumque *b* fraudibus Judæorum ſervitio implicantur, debeat obſervari, non ſolum canonibus, ſed *c* legum beneficio jam pridem fuerit conſtitutum: tamen quia nunc ita quorumdam querela exorta eſt, quoſdam Judæos per civitates, aut municipia conſiſtentes in tantam inſolentiam, & protervIam prorupiſſe, ut nec reclamantibus Chriſtianis liceat vel pretio de eorum poſſe & ſervitute abſolvi: idcirco præſenti Concilio Deo auctore ſancimus, ut nullus Chriſtianus Judæo deinceps debeat ſervire; ſed datis pro quolibet bono mancipio 12. *d* ſolidis, ipſum mancipium quicumque Chriſtianus, ſeu ad *e* ingenuitatem, ſeu ad *f* ſervitium licentiam habeat redimendi: quia nefas eſt, ut quos Chriſtus Dominus ſanguinis ſui effuſione redemit, perſecutorum vinculis maneant irretiti. Quod ſi acquieſcere his, quæ ſtatuimus, quicumque Judæus noluerit, quamdiu ad pecuniam conſtitutam venire diſtulerit, liceat mancipium ipſum ſuum cum Chriſtianis ubicumque voluerit habitare.

NOTÆ.

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.



### NOTÆ.

1 a MAticenſi.) Ita legitur in prima collectione, *ſub hoc t. c. 1.* ſed male, tam in ea, quam in hac ſexta: legendum enim eſt, *Matiſconenſi*, in quo Concilio *can. 16.* reperitur textus hic prout in præſenti tranſcribo. Concilium hoc Matiſconenſe 1. celebratum fuit ſub Pelagio II. temporibus Guntramni Regis Galliæ anno 581. hortatu ipſius Regis, ad morum reformationem, ac præcipue Judæorum petulantiam coercendam, ut referunt Baronius in eodem anno, Coriolan. *in ſumma Concilior.* Binnius & Sirmundus *in notis ad ipſum, to. 3. Regia editionis, fol. 65.* In eo editos fuiſſe viginti canones, ſcripſit Ado Viennenſis Epiſc. *in chron.* his verbis: *Poſt Philipp. Evantius vir ſanctus Epiſcopus Viennæ levatus eſt. Hic cum ſancto Priſco, & Artemio Senonis, & Remigio Bituricenſi, & cum aliis ſanctis Epiſc. viginti capitula eccleſiaſtica perſcripſit roboravit.* Dictum eſt a Matiſcona civitate Galliæ, de qua fratres Sammarth. *to. 3.*

b Fraudibus.) Venditionibus videlicet injuſtis.

c Sed & legum.) *L. 1. C. ne mancipium chriſtianum, leg. 57. C. de Epiſcopis, & cleric.* & aliarum, quas ſequenti commentario dabimus.

d XII. ſolidis.) Jure civili æſtimatio communis ſervi erat viginti ſolidorum, *l. 3. C. communia, de legat. l. inter 26. §. fin. ff. mandati, l. 4. ff. de ſervis fugit. l. Papinian. 8. §. fin.* cum duabus legibus ſequentibus, *ff. de inoffic. teſtam. l. 2. C. de fideic. libert. l. ſi mulier 31. ff. de minor. l. cum ex falſis 47. ff. de manumiſſ. teſtam. l. 1. §. 5. C. de communi ſervo*: vel quindecim, *l. ult. de condit. inſertis. l. 35. C. de donationib.* niſi aliqua arte, aut ſcientia eſſent præditi, juxta diſtinctionem adductam *in d. l. 1. §. 5.* vel ſi eunuchi eſſent, *d. l. fin. C. commun. de legat. l. unica, §. ſin vero, C. de Latina libert. l. ſi ſervus 27. §. ejuſ 28. ff. ad l. Aquil.* quia pretioſiores erant, *leg. 3. §. idem, ff. ad l. Corn. de ſicar.* Paulus *lib. 5. ſentent. tit. 13. l. fin. ff. de oper. ſerv. l. ſed 9. §. fin. de injuriis, l. 3. §. 4. ad l. Jul. de vi*: ex rationibus, quas congerunt, & illuſtrant Suarez *ad l. Aquil. lib. 2. c. 3. ſect. 7.* Baſilius Legion. *q. 5. ſcholaſt. c. 3.* Salmaſ. *ad Pancirol. lib. 2. tit. 2. pag. 93.* De pretio ſolidorum egi *in cap. ex tuæ 10. de Simonia.*

e Ingenuitatem.) Ideſt libertatem, ut *in c. 1. de ſervis non ord.*

f Servitium.) Permiſſum, ut exponit Bronchorſt, *miſcellan. cent. 1. aſſert. 4.*

## CAPUT II.

Gregorius *Venantio Epiſcopo a Lunenſi.*

MUltorum ad nos relatione pervenit, a Judæis in Lunenſi civitate degentibus, in ſervitio Chriſtiana detineri mancipia. Quæ res nobis tanto viſa eſt aſperior, quanto a fraternitatis tuæ patientia operoſior. Oportebat quippe te reſpectu loci tui, atque Chriſtianæ religionis intuitu, nullam relinquere occaſionem, ut ſuperſtitioni Judaicæ ſimplices animæ, non tam ſuaſionibus, quam poteſtatis jure quodammodo deſervirent. Quamobrem hortamur fraternitatem tuam, ut ſecundum piiſſimarum *b* legum tramitem, nulli Judæo liceat Chriſtianum mancipium in ſua retinere domo. Sed ſi qui penes eos inveniuntur, libertas eis tuitionis auxilio ex legum ſanctione ſervetur. Hi vero, qui in poſſeſſionibus eorum ſunt, licet ipſi ex legum diſtrictione ſint *c* liberi, tamen quia colendis eorum terris diutius adhæſerunt, utpote conditionem loci debentes, ad colenda quæ conſueverant, rura permaneant, penſioneſque prædictis viris præbeant: & cuncta quæ de *d* colonis, vel originariis percipiunt, peragant, extra quod nihil eis oneris amplius indicatur. Quod ſi quiſquam de his, vel ad alium migrare locum, vel in obſequio ſuo retinere voluerit, ipſe ſibi reputet, qui jus colonarium temeritate ſua, jus vero dominii ſub juris ſeveritate damnavit. In his ergo omnibus ita te volumus ſolerter impendi, ut nec direpti gregis paſtor reus exiſtas, nec apud nos minor æmulatio fraternitatem tuam reprehenſibilem reddat.

### NOTÆ.

1 a LUnenſi.) *Lunenſi*, legitur in hac ſexta collectione, ſed male; legendum enim eſt, *Lunenſi*, ut habetur *in cap. præſenti, 54. diſt.* & in prima collectione, *ſub hoc tit. cap. 3.* & in ipſis Epiſtolis Gregorii, ubi *lib. 3. ep. 21. indict. 12.* reperitur textus hic: ex quo regeſtro ita textum hunc reſtituo. Luna Etruriæ civitas in confinio Liguriæ, ad Macræ fluminis oſtia, pervetuſta Tuſcorum Colonia, inter 12. civitates numerata: meminerunt Lunæ Livius *lib. 39.* Silius Italicus *lib. 8.* relati ab Ughellio *tom. 1. Italia ſacra, fol. 893.* Cathedra Epiſcopali decorata fuit jam a primis Eccleſiæ temporibus. Ejus Præſuli Sancto Venantio, quem nonnulli Laudenſem Præſulem faciunt, reſcribit in præſenti Gregorius.

2 b Legum.) *L. 1. C. ne Chriſtianum mancipium, l. 57. Cod. de Epiſc. & cleric.*

c Liberi.) Scilicet adſcriptitii, de quibus egi *in cap. 1. de ſervis non ordin. c. 3. de immunit. Eccleſ.* Unde Judæus poteſt habere adſcriptitium Chriſtianum in conſequentiam rerum, quod poſſidet, ut docuerunt Azor. *p. 1. inſtit. moral. lib. 8. c. 12.* Thom. Sanchez *lib. 2. ſummæ c. 32. n. 21.* ex hoc textu, quem cum non animadverterent Platea *in l. quemadmodum, num. 9. verſ. Si quid, C. de agricol.* Sardus *de aliment. tit. 8. privil. 89. n. 2.* docuerunt, non poſſe Judæum emere fundum, cui ſunt adſcripti ſervi Chriſtiani.

d Colonis, vel originariis.) De quibus plura D. Nicolaus de Caſtro *in l. un. C. de c. civium*, ubi n. 19. textum hunc exponit.

### COMMENTARIUM.

3 EX his duabus conſtitutionibus ſequens communiter deducitur aſſertio: *Judæus Chriſtianum mancipium retinere non debet, ſed cogitur juſto pretio Chriſtianis vendere; & ſi renuat, ſervus eripitur in libertatem.* Probant eam textus *in c. mancipia, c. præſenti, 54. diſt. c. ejus, c. multos, c. Judæis, 17. q. 4. c. nam ſic nimir, c. multorum c. ad hæc, c. fin. hoc tit. c. 1.* juncta integra, *de conſtit. c. dilectus 19. de reſcriptis, c. conſuluit, el 3. de appell.* Zacharias *in c. 2. hoc tit. in 1. collect.* Honorius III. *in c. unic. h. t. in 5. compil.* Greg. noſter *lib. 7. epiſt. 11. ad Brunichildem Reginam*, ibi: *Mirati ſumus, quod regno veſtro Judæos Chriſtiana mancipia poſſidere permittitis; quid enim ſunt omnes Chriſtiani, niſi membra Chriſti, &c.* Concil. Meldenſe *can. 73.* „Chriſtiana mancipia, quæ a Judæis adducuntur, aut poſſidentur, aut mundanis commendantur, aut certe Chriſtianis emptoribus intra diem quadrageſimum venundentur, & tranſacto hoc dierum numero, nec apud eos quolibet modo remaneant. Si autem quædam ex iiſdem mancipiis talem ægritudinem forſitan incurrerent, ut infra ſtatutos dies vendi non valeant, adhibenda ſolicitudo eſt, ut dum ſaluti fuerint priſtinæ reſtituta, ſimiliter modis omnibus diſtrahantur, &c. ne Chriſtiana mancipia in domo Judæi habitare ſinantur. Aurel. 3. c. 13. De mancipiis Chriſtianis, quæ in Judæorum ſervitio detinentur, ſi eis quod chriſtiana religio vetat, a dominis imponitur; aut ſi eos de Eccleſia excuſatos tollant pro culpa, quæ remiſſa eſt, & affligere, aut cædere fortaſſe præſumpſerint, & ad Eccleſiam iterato confugerint, nullatenus a ſacerdote reddantur, niſi pretium offeratur, ac detur. Aurel. 4. can. 27. Meld. can. 73. Judæis chriſtianæ legis nolumus ſervire perſonas, ne occaſione domini ſectam venerandæ religionis immutent. *Tolet. 4. can. 65.* Ex decreto glorioſiſſimi Regis hoc ſanctum elegit Concilium, ut Judæis non liceat chriſtianos ſervos, nec chriſtiana mancipia emere, nec cujuſquam conſequi largitate. Nefas enim eſt, ut membra Chriſti ſerviant Antichriſti miniſtris. Quod ſi deinceps ſervos Chriſtianos, vel ancillas Judæi habere præſumpſerint, ſublati ab eorum dominatu libertatem a Principe conſequantur. „ Tolet. 8. n. 12. Cabilon. *can. 9.* Baſil. *ſeſſ. 19.* quæ & alia juris teſtimonia referunt Ant. Auguſt. *in epit. juris, lib. 12. tit. 5.* Creſpetius *in ſumm. verbo Judæi ſervos*. Conſonant lex 1. 4. & 5. *C. Theodoſ. ne Chriſt. mancip.* lex 5. 21. & 26. *eod. C. de Judæis*, lex 21. *eod. C. de Pagan.* lex 59. *eod. C. de hæret.* lex 5. *eod. C. de contrah. emption.* lex 1. *C. Juſtin. ne Chriſtianum mancipium*, lex *ea quæ 56. C. de Epiſc. & cler.* Novella 144. Juſtin. *c. 2.* lex 10. 13. *tit. 9. p. 6.* lex 10. *tit. 24. p. 7.* Illuſtrant Theologi cum D. Thom. *ad 2. 2. q. 10. art. 10.* Tapia *to. 2. catena mor. lib. 1. c. 5. ar. 5.* P. Suar. *de fide, diſp. 18. ſect. 5.* I. Gothof. *in l. 21. C. Th. hoc tit.* Thomas Delbene *to. 2. de offic. Inquiſ. dub. 23. ſect. 18.* Ricciulus *lib. 2. de jure perſon. c. 28.* Hunnius *in encycl. p. 1. tit. 9.* Corvin. *in aphoriſm. juris Pontif. lib. 5. tit. 4. & 5.* Azor 1. *par. inſtit. lib. 8. c. 12.* Gutier. *de dolo. lib. 1. q. 31.* Martha *de juriſd. p. 1. c. 24. n. 22.* Acunna *in c. mancipia, 54. diſtinct.* Lindembrog. *in Gloſſario, verbo Judæi mancipia*, Scortia *in ſelect. Pontif. conſtit. epit. 27. theoremat. 74.* Beckeus *in epiſtola de fide, c. 13. q. 7.* Mancinus *in l. ult. C. de Epiſc. & cleric.* Decianus *lib. 5. tract. crimin. c. 10.* Cujac. *ad tit. ne Chriſtianum mancipium*, D. Nicolaus de Caſtro *in leg. C. de c. civium, n. 29.* Elpenceus *lib. 2. digreſſ. c. 17.* Solorz. *de jure Indiar. lib. 2. c. 11. n. 56. & lib. 3. c. 5. n. 59.* Larrea *deciſ. 9. Granat. n. 34.* Opingius *de jure inſign. c. 2. n. 62.* Simancas *de catholic. inſt. tit. 61. n. 16.*

Sed hæc aſſertio difficilis valde redditur ſequentibus juris rationibus. Prima ex eo, nam emere quis, vel vendere rem propriam non cogitur, *l. nec emere, C. de jure delib. l. invitum, C. de contrah. empt.* ergo Judæi cogi non debent ſervos proprios, & legitime acquiſitos vendere, præcipue cum Eccleſia in Judæos non baptizatos nullam habeat juriſdictionem, juxta illud D. Pauli: *De his, qui foris ſunt quid ad nos.* Ergo Judæi per Judices Eccleſiaſticos cogi nequeunt ſervos Chriſtianos vendere. Secundo difficilis eſt præſens aſſertio, dum in ea docetur, Judæum renuentem vendere chriſtianum mancipium, ejus dominio privari, ſervumque liberum fieri, ac proclamare poſſe ad libertatem; nam receptior, communiorque ſententia eſt, infideles ob ſolam infidelitatis cauſam privari non poſſe dominio, quod habent ſupra fideles, ut poſt Div. Th. docent Victor. *relect. 1. de Indis, n. 6.* Sotus *in 4. diſt. 5. q. 1. art. 10.* Bellarm. *to. 2. controv. lib. 3. c. 2.* pluribus relatis Solorz. *to. 1. de jure Indiar. lib. 2. c. 12. n. 58.* Igitur Judæi, eo quod tales ſint, non debent privari dominio ſervorum, quod ex jure gentium, mediante captivitate, vel emptione acquiſierant. Accedit, nam ſi ex duobus conjugibus 4 Impugnatur traditia aſſertio.

bus

hos unus ad fidem catholicam convertatur, alterque converti renuat, ſi velit cohabitare ſine contumelia Creatoris, non poteſt Catholicus eam deſerere, imo potius cum ea cohabitare debet, *c. gaudemus, de divort.* ubi probavimus. Igitur multo magis ſervi, etſi domini eorum baptizari renuant, non debent eos deſerere, & ad libertatem proclamare.

5 *Traditur dubitandi ratio.* Qua dubitandi ratione non obſtante vera eſt præſens aſſertio, cujus ratio aſſignatur in præſenti textu, & *in c. eiſ Judæos, hoc tit.* ne videlicet filii liberæ famulentur filiis ancillæ, ſed tamquam ſervi a dominis reprobati, ſe ſaltem per effectum operis recognoſcant ſervos eſſe Chriſtianorum. Accedit, quia Judæi quidem, ex quo Chriſtum Dominum noſtrum Regem agnoverunt ante faciem Pilati, & Regem Cæſarem agnoverunt, *Joan. c. 19. Act. Apoſt. c. 17.* communi Romano jure adeo vivunt in cauſis, tam ad eorum ſuperſtitionem, quam ad forum, leges ac judicia pertinentibus, ut etiam quædam juxta legem ſuam eis licita retinere prohibeantur. Nec enim, exempli gratia, poſſunt in diverſa ſub uno tempore conjugia convenire, *l. Judæi, l. nemo, C. de Judæis*, quæ ſunt Arcadii, Honorii, & Auguſti. Quibus prior Conſtantinus legem tulit, ne Chriſtianum mancipium Judæus poſſideat, *l. un. C. ne mancipium Chriſtianum.* Refert Euſebius *in ejus vita, c. 27.* ibi: *Sanxit etiam, ne Chriſtianus quiſquam ſerviret Judæis.* Sozom. *lib. 3. c. 17.* Sed hanc conſtitutionem etiam ad Paganos, & hæreticos porrexit Juſtinian. *in l. fin. C. de Epiſc. & cler.* ita ut ſimiles ſervi liberi fierent, cujus legis auctoritate Patres Eccleſiæ ſervos Chriſtianos Judæorum, legum diſtrictione liberos eſſe, & ad libertatem juxta legum præcepta perducendos in præſenti ſanxerunt, & in juribus ſupra relatis. Accedit præcipua ratio timoris ſubverſionis, nam facile Judæi ſervos Chriſtianos ſubverterent blanditiis, aut tormentis, & eorum dominatio intolerabilis fieret; nam ut ait Cicero Philippica 3. *Cum omnis ſervitus ſit miſera, tum vero intolerabilis ſervire impuro.* Sic Soſia Amphytrionis ſervus apud Plautum *in Amphytrione*:

*Ergo in ſervitute expetunt multa iniqua:*
*Habendum, & ferendum hoc onus eſt cum labore.*

Merito ergo Eccleſiæ PP. ſtatuerunt, Judæos mancipium Chriſtianum poſſidere non poſſe, ſed potius illum vendere XII. ſolidis Chriſtiano cogi, ſi illum mercimonii cauſa emiſſent, alias eripiendum eſſe in libertatem. Jure noſtro Regio *in d. l. 8. tit. 24. partit. 4. l. 21. tit. 11. p. 5. l. 10. tit. 24. p. 7.* pœna mortis injungitur Judæis, qui mancipia Chriſtiana detinere præſumpſerint, & *in l. 23. tit. 9. par. 6.* prohibetur mancipium Chriſtianum Judæo legari, & inſtrumentum, quo venditio mancipii Chriſtiani Judæo fit, invalidum declaratur *in leg. 6. tit. 3. p. 3.* & judicium, quo id comprehenditur, contra leges eſſe, & invalidum traditur *in l. 1. tit. 2. p. 3.* quibus adde plura, quæ tradit Azevedo *in l. 2. tit. 2. lib. 8. recopil. n. 8. 29.*

6 *Reſolvitur dubitandi ratio.* Nec obſtat dubitandi ratio ſupra adducta: nam licet regulariter verum ſit, neminem cogi rem propriam vendere, ut probat Heraldus *lib. animadv. c. 26.* ubi exponit legem 9. *ff. de act. rer. amotar.* legem 65. §. 1. legem 90. *ff. de R. J.* ſæpe tamen contrarium obſervatur, & tenetur dominus rem propriam diſtrahere, ut probat Hermoſilla *in leg. 3. tit. 5. par. 5.* Unde ob cauſam ita juſtam, ut eſt periculum ſubverſionis, mirum non eſt, ut teneatur Judæus ſervum Chriſtianum vendere. Nec obſtat augmentum primum ipſius difficultatis, pro cujus ſolutione ſciendum eſt, valde controverſum eſſe inter Doctores, an infideles ex eo tantum, quod infideles ſunt, poſſint privari dominio, quod habent ſupra Catholicos? Quam quæſtionem diſputant Covarr. *in reg. peccatum, 2. p. §. 11. n. 5. de regul. jur.* Salon. *in tract. de domin. q. 3. art. 1.* Sayr. *in Clavi Reg. lib. 9. c. 6. n. 15.* Leſſ. *de juſt. lib. 2. c. 5. dub. 4. n. 12.* Amaya *in d. c. mancipia*, Bonnes *ad 2. 2. tr. de fide, c. 13.* In qua quæſtione D. Th. *2. 2. q. 10. art. 10.* affirmativam ſententiam tenet ex ea ratione, quia infideles propter ſuam infidelitatem digni ſunt, ut priventur omni dominio. Alii ſimpliciter negant, & utramque ſententiam problematice probat perdoctus Solorz. *ubi ſupra*, qui videndus eſt; nam quoad præſentem caſum facilis eſt ſolutio, ſiquidem in eo agant Eccleſiæ Patres de Judæis ſubjectis Principibus Chriſtianis, a quibus virtute ſupremæ poteſtatis, & dominationis lex lata eſt, ut nullus Judæus Chriſtianum mancipium poſſideat, aut retineat, *d. l. 1. C. ne Chriſt. mancip.* & Princeps Chriſtianus potuit talem legem in ſua ditione promulgare, ut aliud tributum illis indicere valebat. Unde notandum eſt, tam *in hoc c. 1. & 2.* quam aliis canonibus ſupra relatis, dum de hac privatione dominii Judæorum in ſervos Chriſtianos PP. agunt, ſemper referre ſuas conſtitutiones ad leges ſæculares *in d. c. 1.* ibi: *Legum beneficio.* Conc. Tolet. 4. *can. 65. Ex decreto glorioſiſſimi Regis.* Notavit Larrea *d. dec. 9. n. 35.* Accedit, nam Eccleſia poteſtatem habet cohibendi, & puniendi infideles, ſi non pœnis ſpiritualibus, de quibus accipiendus eſt D. Paulus ſupra laudatus, pœnis temporalibus, & corporalibus, *c. poſtulaſti, c. conſuluit, hoc tit. c. Judæi, de teſtibus cap. poſt miſerabilem, de uſuris, c. in Archiepiſc. de rapt.* probat late Solorzan. *tom. 1. lib. 2. c. 25. n. 4.* Nec tandem obſtat, quod expendebamus de matrimonio Catholici cum Gentili; nam cum ambo in ipſa gentilitate valide quoad vinculum matrimonii contraxerint, alio ad fidem converſo, altero in infidelitate remanente, non diſſolvitur matrimonium, niſi infidelis cohabitare renuat ſine contumelia Creatoris, ut probavi *in can. 10. Concilii Illiberit.* propter vinculum contractus legitime celebrati, quod in præſenti caſu non datur, & ita ob converſionem ſervi ad fidem Catholicam privari poteſt dominus ejus dominio.

Sed ſupra traditæ aſſertioni obſtat textus *in can. 3. Concilii Gangren.* in illis verbis: *Si quis docet, ſervum prætextu divinæ pietatis dominum contemnere, & a miniſterio recedere, & non cum benevolentia omni honore domino ſuo inſervire, ſit anathema.* Refert Gratianus *in c. ſi quis ſervum, 17. diſt.* & ex Martino Bracb. *in c. ſi quis, 17. q. 4.* Igitur non recte in præſenti docetur, ſervum Chriſtianum proclamare poſſe ad libertatem, quando dominus ejus Judæus eſt, renuitque ipſum juſto pretio vendere. Pro cujus canonis expoſitione dicendum eſt, quod illis prioribus Eccleſiæ ſæculis, cum celebratum fuit Concil. Gangrenſe, quando ſub Principibus Gentilibus fideles erant, ne cui Chriſtiana religio invida videretur, & ut obtrectatores quid in ea reprehendere non haberent, ſed magis erubeſcerent, magna cura prædicatum, & obſervatum fuit, ut ſervi diligenter dominis ſuis obedirent, honoremque impenderent. D. Paul. *ad Tit. c. 2.* Pace vero data, & libertate externa per Principes Catholicos Eccleſiæ reſtituta, Cæſares ipſi, & Eccleſiæ Patres ſtatuerunt, ne Judæi Chriſtianum mancipium poſſiderent, ut docuit Eſpencæus *ad epiſt. Pauli, lib. 1. digreſſ. c. 17.* & ita ad priora illa ſæcula referendus eſt dictus canon Concilii Gangrenſis, quod celebratum fuit anno Chriſti 324. 7 *Expenditur cap. 3. qui ſervum in diſt.*

# C A P U T III.

## Gregorius *Januario Epiſcopo a Caralitano.*

JUdæi de civitate veſtra huc venientes queſti nobis ſunt, quod Synagogam eorum, quæ Caralis ſita eſt, Petrus, qui ex eorum ſuperſtitione ad Chriſtianæ fidei cultum Deo volente perductus eſt, adhibitis ſibi quibuſdam indiſciplinatis, ſequenti die baptiſmatis ſui, hoc eſt *b* Dominico, in ipſa feſtivitate Paſchali, cum gravi ſcandalo, ſine veſtra occupaverit voluntate, atque imaginem illic Genitricis Dei, Dominique noſtri, & venerandam crucem, & birrum *c* album, quo de fonte reſurgens indutus fuerat, poſuiſſet. De qua re, & filiorum noſtrorum Eupaterii glorioſi magiſtri militum, atque magnifici Pii in Domino Præſidis, aliorumque nobilium civitatis veſtræ ad nos hæc eadem ſcripta atteſtancia cucurrerunt. Qui etiam adjecerunt a vobis hoc præſumptum, & prædictum Petrum, ne hoc auderet, fuiſſe prohibitum. Quod cognoſcentes, omnino laudavimus, quia ſicut revera bonum decuit ſacerdotem, nihil fieri unde juſta eſſet reprehenſio, voluiſtis. Sed quia per hoc, quod minime vos in his, quæ prave acta ſunt, miſcuiſtis, diſplicere vobis quod factum eſt, demonſtraſtis, conſiderantes hac de re veſtræ voluntatis intentum, ac magis judicium, his hortamur affatibus, ut ſublata exinde, cum ea, quæ dignum eſt, veneratione, imagine, atque cruce, debeatis quod violenter ablatum eſt, reformare, quia ſicut *d* legalis diffinitio Judæos novas non patitur erigere Synagogas, ita quoque eos ſine inquietudine veteres habere permittit. Ne ergo ſupradictus Petrus, vel alii, qui in ea hac indiſciplinationis pravitate præbuere ſolatium, ſine conſenſu hoc zelo fidei ſe feciſſe reſpondeant, ut per hoc quaſi eis neceſſitas fieri convertendi, admonendi ſunt, atque ſcire debent, quia hac circa eos temperantia magis utendum eſt, ut trahatur ab eis velle, non reniti, non ut adducantur inviti, quia *e* ſcriptum eſt: Voluntarie ſacrificabo tibi, ideſt, ex voluntate mea confitebor tibi. Sanctitas ergo veſtra gratiam inter civitatis ſuæ habitatores, adhibitis ſibi filiis ſuis, quibus una vobis hæc diſplicent, ſacerdotali adhortatione, ſicut eam decet, ſtudeat facere, quia in hoc maxime tempore, quando de hoſte formido eſt, diviſum habere populum non debetis. Quia vero non minorem de vobis, quam de nobis ſollicitudinem gerimus, hoc quoque pariter indicandum curavimus, quod finita hac pace, Agiulphus Longobardorum Rex pacem non faciet. Unde neceſſe eſt, ut fraternitas veſtra, dum licet, civitatem ſuam, vel alia loca fortius *f* muniri provideat, atque invigilet, ut abundanter in eis condita procurentur, quatenus dum hoſtis illuc Deo ſibi irato acceſſerit, non inveniat quod lædat, ſed confuſus abſcedat. Sed & nos pro vobis quantum poſſumus cogitamus, & iis quorum intereſt, ut ſe ad obſiſtendum, Deo adjutore, præparare debeant, imminemus, quia ſicut vos noſtras tribulationes veſtras attenditis, ita quoque nos veſtras afflictiones noſtras ſimiliter reputamus.



N O T Æ.

1 a *Caralitano.*) Ita legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c. 4.* & in ipſis Epiſtolis D. Gregorii, ubi *lib. 7. indictione 2. Epiſt. 5.* reperitur textus hic, ex quo regeſtro eum tranſcribo. De Caralitana diœceſi nonnulla addidi *in capite finali, de poſtulatione Prælatorum.*

2 b *Dominico in ipſa feſtivitate Paſchali.*) Paſchatis enim Sabbatum ex veteri Eccleſiæ inſtituto baptiſmi ſacramento conferendo deſtinatum fuiſſe, probant Victor Papa *in Epiſt. 2. ad Theophilum Alex. Epiſc.* ibi: „ Celebritatem ſancti Paſchæ die Dominica agi debere, & prædeceſſores noſtri jam ſtatuerant, & nos illud vobis eadem celebrari ſolemniter mandamus, a quarta decima vero luna primi menſis, uſque ad vigeſimamprimam ejuſdem menſis diem eadem celebretur feſtivitas, eodem vero baptiſmus celebrandus eſt. „ Catholicus Tert. *de baptiſ. mo c. 19.* „ Diem baptiſmo ſolemniorem Paſcha præſtat, cum & paſſio Domini in qua tingimur, adimpleta eſt. Nec incongruenter ad figuram interpretabimur, quod cum ultimum Paſcha Dominus eſſet acturus, miſſis diſcipulis ad præparandum: Invenietis, inquit, hominem aquam bajulantem. Paſchæ celebrandæ locum de ſigno aquæ oſtendit. „ D. Baſil. *de exhortat. ad Baptiſmum.* „ Quod tempus baptiſmo cognatum eſt, quam Paſchalis dies? quod ea lux reſurrectionis monumentum quoddam exſtat. Baptiſmi namque ad reſurrectionem facultas, arrhaboque eſt reſurrectionis. Ergo gratiam inde reſurrectionis excipiamus. „ Et *c. ſequitur 90. de conſecr. diſt. 4.* Plura congerit, rationem hujus ſacri ritus illuſtrans Joſeph. Vicecomes *lib. 1. de ritib. Baptiſmi, c. 19. cum ſeqq.*

3 c *Birrum album.*) In ipſo baptiſmo veſtem candidam dari recenter baptizatis, jam a temporibus Apoſtolorum uſque ad noſtra ſæcula, conſtat ex Dionyſio *de Eccl. hierar. c. de baptiſm.* ibi: „ In tribus ejus, qui initiatur, demerſionibus, emerſionibuſque, trium divinæ beatitudinis perſonarum nomina appellat, & invocat: acceptumque eum ſacerdotes, & ſponſorii, & diaciræ permittunt, eumdemque cum veſte eo digna induerunt. *B. Cyril. Hieroſ.* „ Exutis veſtibus antiquis, & iis, quæ ſunt ſecundum ſpiritum albæ, indutis, perpetuo jam in albis incedere oportet. „ D. Chryſ. *hom. in Pſ. 118.* „ Habetote tunicam mundam, ſicut accepiſtis in baptiſmo: nullus eam maculet moribus ſuis, nullus pravitate cordis ſcindat tantam pulchritudinem veſtis: talem accepiſtis veſtem in baptiſmo, qualem habuerunt Angeli, qui ſervabant Dominum in ſepulchro, quia ſicut nix, ita erat veſtis eorum. „ Fortunat. *lib. 4. de Jud. ad fidem adductis*:

*Lacteus hinc veſtis color eſt, hinc lampade fulget*
*Ducitur & vario lumine picta dies.*

Meminerunt hujus ſacri ritus quamplures Eccleſiæ Patres, necnon Hiſtorici congeſti a Joſepho Vicecomite *lib. 5. de ritib. baptiſmi, c. 6. cum pariter ſeqq.* D. F. Joſeph a Sancta Maria Carthuſianus *de ceremoniis baptiſmalibus, c. 25. & 26.*

d *Legalis.*) Relata *in l. ult. C. de Judæis.*

4 e *Scriptum eſt.*) *Pſalm. 53.*

f *Muniri provideat.*) Quod etiam eidem commendat *eodem lib. 6. ep. 2.* his verbis: *Quod in Sardinia hoſtes noſtri fuerint operari prius quam fraternitatis veſtræ epiſtola ad nos perveniret, agnovimus, & quia hoc futurum dudum metuimus, evenisse quod prævidimus, nobiſcum nunc gemimus.* De hac pace cum Agilulpho inita nonnulla addidi *in c. 1.*

COMMENTARIUM.

5 *Concluſio traditur & probatur.* EX hoc textu ſequens communiter deducitur aſſertio: *Judæi inter Chriſtianos commorantes, veteres Synagogas reficere, & reparare valent; novas vero erigere nequeunt.* Probant eam idem Gregor. *lib. 1. epiſt. 34. ad Joannem Epiſcopum Tarracin.* ibi: „ Joſeph præſentium lator Judæus inſinuavit nobis, quod de loco quodam, in quo ad celebrandas feſtivitates ſuas Judæi in Tarracinenſi caſtro conſiſtentes convenire conſueverant, tua eos fraternitas expulerit, & in aliam locum pro colendis ſimiliter feſtivitatibus ſuis, te quoque noſcente, & conſentiente migraverint, & nunc de eodem loco etiam expulſos ſe denuo conqueruntur. Quod ſi ita eſt, volumus ut tua fraternitas ab hujuſmodi ſe querela ſuſpendat, & ad locum, quem, ſicut prædiximus, cum tua conſcientia quo congregentur, adepti ſunt, eis ſicut mos fuit, liceat convenire. Et *l. fin. §. pen. C. de Judæis.* „ Theoderic. in ſuo edicto apud Caſſiod. *lib. 2. ep. 27.* ibi: „ Sicut exorati juſtum cupimus præbere conſenſum; ita per noſtra beneficia fraudes fieri legibus non amamus, in ea parte præcipue, in qua divinæ reverentiæ credimus intereſſe. Ne ergo inſultare videantur elati, divinitatis gratia deſtituti. Quapropter tegmen tantum vetuſtis parietibus ſuperimponere Synagogæ veſtræ, præſenti vos auctoritate cenſemus, petitionibus veſtris eatenus licentiam commodantes, quatenus conſtituta divalia permiſerunt. Nec aliquid ornatus fas ſit adjicere, vel in ampliandis ædibus evagari. Noveritis vos ſeveritatem minime diffugere veteris ſanctionis, ſi rebus non abſtineatis illicitis. In ipſis vero parietibus cooperiendis, vel reficiendis tantum licentiam damus, ſi vobis tricennalis non poteſt, obeſſe præſcriptio. Quid appetitis, quæ refugere deberetis? Damus ſiquidem permiſſum, ſed errantium votum laudabiliter improbamus. Religionem imperare non poſſumus, quia nemo cogitur ut credat invitus. „ Illuſtrant ultra congeſtos a Barboſa *in præſenti*, P. Greg. *lib. 2. partit. tit. 5. c. 2.* Mendoza *lib. 3. Conc. Illiberit. c. 46. & 47.* Cujac. *lib. 16. obſerv. c. 3.* Azor *p. 1. inſtit. c. 21.* Jacob. Gothofr. *in opuſc. de templis demoliendis*, Thom. Delbene *part. 1. de offic. Inquiſ. dubit. 236.*

6 *Impugnatur tradita aſſertio.* Sed pro dubitandi ratione ita argumentor. Perduellium, tyrannorumque ædificia ſolo coæquantur in pœnam tam gravis ſceleris, *l. ii, cum quo 10. ff. communi divid. l. 2. ſi quis nomine, l. ult. ff. ne quid in loco publico, l. fideicomm. 12. §. qui illicuti, ff. de legat. 3. l. 24. ff. de pœnis.* Illuſtrant Valtejus *diſſept. jur. c. 9.* Darantius Caſel. *lib. 2. tom. c. 16.* Cabreros *lib. 2. de mutu, cap. 30. n. 6.* Sed nulla poteſt admitti culpa major, quam Judaica ſuperſtitio, & Judæorum perfidia. Igitur eorum Synagogæ non reficiendæ, imo diruendæ, evertendæque omnino ſunt. Facit exemplum paganorum, quorum templa claudi, & demoliri jubetur *in l. 1. l. omnia 5. C. de paganis, l. 4. C. Theod. eod. tit. l. 26. eod. tit. & C. Si qua in agris templa ſunt, ſine turba, ac tumultu diruantur; his enim dejectis, atque ſublatis, omnis ſuperſtitionis materia conſumetur.* D. Aug. *lib. 18. de Civit. Dei, c. ult.* In civitate notiſſima Carthagine Africæ Gaudentius, & Jovius Comites Imp. Honorii, xiv. Kal. April. falſorum Deorum templa everterunt, & ſimulacra fregerunt, quas conſtitutiones SS. PP. collaudarunt, imò & auctores earum ſe præſtiterunt, ut conſtat ex Cypr. *in exhort. ad martyr. c. 5.* ubi alia citat Pamelius ex Euſebio *lib. 2. de vita Conſtant. c. 34. & 44. & lib. 4. c. 23.* Ruffino *lib. 2. hiſt. c. 19.* Niceph. *lib. 7. c. 46. & lib. 8. c. 33.* Ambr. *lib. 5. ep. 30.* Aug. *lib. 1. de epiſtoli Parmen. c. 7. & ep. 48. & 50.* niſi exinde publicus urbis aſpectus deformetur: nam tunc propter ornatum civitatis demoliri non debent, *l. ſicut, C. eod. tit.* ad quem ornatum reſpexerunt PP. Concilii Africani ſub Bonifacio *can. 5.* in illis verbis: „ Inſtant etiam aliæ neceſſitates a Religioſis Imperatoribus poſtulandæ, ut reliquias Idolorum per omnem Africam jubeant penitus amputari; nam pleriſque in locis maritimis, atque poſſeſſionibus diverſis, adhuc erroris iſtius iniquitas viget, ut præcipiant, & ipſa deleri, & templa eorum, quæ in agris, vel in locis abditis conſtituta, nullo ornamento ſunt, jubeantur omnimodo deſtrui. „ Quam demolitionem templorum probant, & illuſtrant Joann. Baptiſta Fikeras *in Theolog. Juridic. fol. 307.* I. Gothofr. *in opuſc. de templ. demol.* Solorz. *tom. 2. lib. 1. c. 24. n. 53.* Juſtel. *ad can. 58. Eccleſ. Afric.* Igitur ſimiliter Synagogæ, in quibus Judaicæ feſtivitates, & ceremoniæ exercentur in opprobrium Catholicæ Religionis, omnino ſunt diruendæ, evertendæque, non vero reficiendæ, aut reparandæ. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam ſi Judæis ſimul cum Catholicis commorantibus permitteretur Synagogas habere, eaſque reficere, & reparare, concederetur illis earum uſus, ideſt exercitium ceremoniarum ſuæ religionis, quarum cauſa Synagogas ædificant, in eiſque conveniunt, ut infra dicemus; ſed Judæis commorantibus inter Catholicos prohibetur uſus ſuorum rituum, ut mortuos cum cantu ſepelire. Concil. Narbon. ſub Recharedo, ibi: *Judæis non liceat corpus defuncti deducere pſallendo, ſed ut eorum habuit mos, & conſuetudo antiqua, corpus deferant, & deponant.* Paſcha celebrare, Conc. Tol. 1. *can. 9.* ibi: *Ne Judæi more ſuo celebrent Paſcha, vel carnis circumciſionem exerceant.* Igitur fruſtra illis permittitur Synagogas reficere, & habere. Augetur ſecundo hæc dubitandi ratio ex eo, nam reficere ædificare eſt, *l. 1. §. 9. ff. de ædific.* ibi: *Ædificare autem, non ſolum qui novum opus molitur, intelligendus eſt, verum is quoque, qui vult reficere.* Sed novas Synagogas ædificare Judæis non licet: igitur nec veteres reficere.

Qua dubitandi ratione ita falcita non obſtante, vera eſt præſens aſſertio, pro cujus expoſitione ſcire oportet, Synagogam dictam eſſe a Græco verbo *ſynago*, quod eſt *colligo*; unde ſynagoga Græce, Latine dicitur collectio, quare loca illa, ubi Judæi congregabantur ad legendam, & audiendam legem Moſaicam, Synagoga dicebatur. Nec tantum Synagogæ Judæorum erant in Judæa, & Galilæa, verum in aliis provinciis, ubi Judæi degebant, veluti Damaſci, Salaminæ, Antiochiæ, Piſidiæ, Theſſalonicæ, Athenis, Corinthi, Epheſi, ut habetur in actibus Apoſtolorum *c. 9. verſ. 2. c. 13. verſ. 5. c. 14. verſ. 1. c. 17. verſ. 1. & c. 18. verſ. 4.* nam in illis civitatibus habitabant Judæi permixti cum Gentilibus, ut patet ex locis citatis. Unde etiam Synagogæ, quæ ibi erant, non appellabantur Synagogæ Gentilium, ſed Judæorum, Actorum *c. 13. verſ. 5. Cum veniſſent Salaminam, prædicabant verbum Dei in Synagogis Judæorum.* Et *cap. 14. verſ. 1. Factum eſt autem Iconii, ut ſimul introirent in Synagogam Judæorum.* Et *c. 17. verſ. 1. Venerunt Theſſalonicam ubi erat Synagoga Judæorum.* Et earum uſum apud Judæos invaluiſſe ante conſtructionem templi, probant Cochier *in ſua hiſtor. cent. 1. c. 27.* Becanus *in analog. c. 12. n. 38.* & ultimis temporibus refert Sigonius *de Repub. Hebræor. lib. 2. c. 8.* in urbe Hieroſolyma trecentas octoginta Synagogas conſtructas fuiſſe, eo quod Judæi eo ex omnibus regionibus conveniebant. Erant ergo Hieroſolymis Synagogæ peregrinorum, & templum civium, in reliqua vero Judæa, & Galilæa, & in ceteris provinciis, in quibus Judæi poſt diſperſionem verſabantur, erant etiam Synagogæ incolarum, quibus Hieroſolymam adire non erat commodum. De Hieroſolymitana una Synagoga mentio fit præcipue *Actuum Apoſt. c. 6. Surrexerunt quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenenſium, & Alexandrinorum, ac eorum qui erant a Cilicia, & Aſia, diſputantes cum Stephano.* Hi enim omnes erant Judæi, verum in provinciis habitantes, qui cum Hieroſolymam negotiorum ſuorum cauſa adibant, non ad templum, ſed ad ſynagogam, quam ipſi ſibi paraverant, convenire inſtituerant. Item apud Joannem, *c. 8. Ego ſemper docui in ſynagoga, & in templo, quo omnes Judæi conveniunt.* De ceteris *c. Actuum 15. Moyſes a temporibus antiquis habet in ſingulis civitatibus, qui eum prædicent in ſynagogis, ubi per omne Sabbatum legitur.* Per Moyſem autem intelligit libros ejus. Hæ vero ſynagogæ aliquando a privatis hominibus etiam Gentilibus, pii officii cauſa conſtituebantur, ut fuit illa *Lucæ 7.* in Capharnao a Centurione Romano; 7 *De Synagogis Judæorum.*

mano; ſic enim dixere Judæi: *Dignus eſt, ut hoc illi ſacias, diligit enim gentem noſtram, & ſynagogam ædificavit ipſe nobis*. In ſingulis ſynagogis erant cathedræ, & ſediliæ, in quibus ſedebant tum illi qui legebant, & explicabant legem Moyſis: tum illi qui audiebantur, ut patet *ex c. 23. Matthæi, verſ. 6.* ubi de Scribis, & Phariſæis dicitur: *Amant primas cathedras in ſynagogis*.

8 De uſu ſynagogæ. Sed ut ad uſum, in quem ædificatæ fuerunt ſynagogæ, perveniamus, ſciendum eſt, triplici ex cauſa ſynagogas a Judæis conſtrui. Prima ad docendum; nam ſolebant DD. populi ſingulis Sabbatis convenire ad ſynagogas, ibique legere, & explicare libros Moyſis, ac Prophetarum. *Actuum Apoſt. cap. 15. verſ. 21.* ibi: *Moyſes a temporibus antiquis habet in ſingulis civitatibus, qui eum prædicent in ſynagogis, ubi per omne Sabbatum legitur*. Ordinarii autem DD. erant Scribæ, & Phariſæi, de quibus *c. 23. Matthæi, verſ. 2. Super cathedram Moyſis ſederunt Scribæ, & Phariſæi*. Quod officium ſemper exercuit Chriſtus Dominus, ut refertur *Marci, c. 1. verſ. 21.* ibi: *Sabbatis ingreſſus in ſynagogis docebat eos*. Et *c. 4. Lucæ, verſ. 15.* ibi: *docebat in ſynagogis eorum*. Aliquandoque illuc accedentes invitabantur ad prædicandum, ut de Paulo, & Barnaba legitur *Actuum Apoſt. c. 13. verſ. 14. Ingreſſi ſynagogam die Sabbatorum ſederunt: poſt lectionem autem legis, & Prophetarum, miſerunt Principes ſynagogæ ad eos dicentes: Viri fratres, ſi quis eſt in vobis ſermo exhortationis ad plebem, dicite. Surgens autem Paulus, & manu ſilentium indicens, ait: Viri Iſraelitæ, & qui timetis Deum, audite*, &c. Sic etiam & Chriſtus Dominus ab eis invitatus docuit in ſynagoga, ut refertur *Lucæ c. 4. verſ. 16.* Secundo ſolebant Judæi orationis cauſa convenire in ſynagogis, ut conſtat *ex c. 6. Judith, verſ. 21.* ibi: *Convocatus eſt omnis populus, & per totam noctem intra Eccleſiam oraverunt petentes auxilium a Deo Iſrael*. Ubi per Eccleſiam non poteſt aliud intelligi, quam ſynagoga, ut etiam accipitur *pſ. 25. verſ. 12. & pſal. 67. verſ. 27.* & conſtat *ex c. 6. D. Matthæi, verſ.* ibi: *Cum oratis, non eritis ſicut hypocritæ, qui amant in ſynagogis, & in angulis platearum ſtantes orare*. Tandem ſolebant Judæi in ſynagogis punire eos, qui vere deliquerant, vel falſo putabantur deliquiſſe, juxta illud Matthæi *c. 1. verſ. 17. In ſynagogis ſuis flagellabunt vos*. Et *cap. 23. Matthæi, verſ. 34. Mitto ad vos Prophetas, & ex illis flagellabitis in ſynagogis veſtris*. Et *Actuum Apoſt. c. 22. verſ. 19. Ego eram concludens in carcerem, & cædens per ſynagogas eos, qui credebant in te*. Et *c. 26. verſ. 11. Per omnes ſynagogas frequenter puniens eos, compellebam blaſphemare*. Plura de his ſynagogis, & earum religione congeſſerunt ultra Theologos poſitivos in locis ſacræ paginæ ſupra relatis, Torniellus *in annalibus, anno mundi 3594.* Becanus *in analogia, c. 12.* Kochier *in face hiſt. cent. 2. c. 27.* Simon Majolus *dierum canicul. cent. 2. c. 27.* Novarinus *lib. 5. ſchediaſm. n. 2.*

9 Textus decidendi ratio. His ſuppoſitis ratio præſentis aſſertionis, quare videlicet Judæis permittitur retinere veteres ſynagogas, & reficere, non vero novas conſtruere, provenit ex eo, quia, etſi Judæi fovendi non ſint, imo potius arguendi, & increpandi; tamen in ſuis ſynagogis inquietandi non ſunt, quod & Romani Imperatores, qui illis valde infeſti fuerunt, & Eccleſiæ PP. ſtatuerunt. Imperatores *in l. ſpadonem 15. §. 6. ff. de excuſat. tut.* ibi: *Jam autem Judæi, & non Judæorum tutores erunt, ſicut & reliqua adminiſtrabunt*. Conſtitutiones enim in iis ſolum ſine moleſtia eſſe jubent, per quæ cultus inquinari videtur, *l. 3. §. fin. ff. de decur. l. 2. l. die 13. C. de Judæis, l. Chriſtiani 6. C. de paganis, l. 24. C. Theod. eod. tit.* Solorz. *tom. 2. de jure Indiar. c. 10.* quare etſi eorum collegia improbata eſſent, ut probant Briſſonius *lib. 1. ſelect. c. 4.* Oſualdus *lib. 18. Donelli, c. 7. litt. N.* (etſi contrarium teneat Cujac. *lib. 7. obſer. c. 30.*) tamen eorum Synagogæ immunes erant ab hoſpitio, eorumque ritus tolerabantur, veluti circumciſio, *l. circumcidere 11. in princ. ff. ad l. Corn. de ſicariis*. Feriæ Neomeniarum, aliarumque ſolemnitatum, *l. fin. C. Theod. de feriis, l. 20. eod. C. de Judæis, l. 8. eod. C. de excuſationibus*: idemque Judæum in jus vocari non poſſe die Sabbati, docetur *in l. die 13. C. de Judæis*. Unde recte Fornerius *lib. 2. rer. quotid. c. 4.* reſtituit negationem *in l. Judæi 8. C. de Judæis*: ubi vulgo legitur: *Judæi communi Romano jure viventes in his cauſis, quæ tam ad ſuperſtitionem eorum, quam ad forum, & leges*, cum legendum ſit, *in his cauſis, quæ non tam ad ſuperſtitionem eorum*, ut habetur *in l. Judæi, C. Theod. de Judæis*. Facit Caſſiodorus *lib. 5. ep. 37.* ibi: „ Libenter annuimus, quod ſine legum injuria poſtulatur, maxime cum pro ſervanda civilitate, nec illis ſunt neganda beneficia juſtitiæ, qui adhuc in fide cognoſcuntur errare. Atque ideo diſcant rerum bonarum ſuaviſſimum ſaporem, ut qui humanam juſtitiam nituntur quærere, ſolicitius incipiant divina judicia cogitare. Proinde quoniam nonnullorum vos frequenter cauſamini præſumptione laceratos, & quæ ad Synagogam veſtram pertinent, perhibetis jura reſcindi, opitulabitur vobis manſuetudinis noſtræ poſtulata tuitio. Quatenus nullus eccleſiaſticus, quæ Synagogæ veſtræ jure competunt, violentia intercedente pervadat, nec veſtris ſe cauſis importuna acerbitate permiſceat. Sed ut religionis cultuum, ita & actuum ſint converſione diſcreti, hac tamen moderatione principalis auxilii beneficium concedentes, ut nec vos quod ad præfatæ Eccleſiæ jus, vel religioſas perſonas certo legibus pertinere conſtiterit, inciviliter attrectare tentetis. Tricennalis autem humano generi patrona præſcriptio, ut cunctis, ita vobis jure ſervabitur, nec conventionalia vos irrationabiliter præcipimus ſuſtinere diſpendia, ut hac pietatis noſtræ defenſione muniti, petitio veſtra ab illicitis ſe liberatam gratuletur incommodis. Concedimus quidem, clementiæ noſtræ conſuetudine, quæ rogaſtis. Sed quid Judæe ſupplicans temporalem quietem quæris, ſi æternam requiem invenire non poſſis? „ Et *lib. 4. epiſt. 43.* Quod conſtitutum eſt, ut ita blanditiis, & beneficiis ad fidem noſtram Catholicam alliciantur. Recte ergo in præſenti juxta legitimas ſanctiones ſtatuit Gregorius, Judæos veteres Synagogas reficere poſſe, novas vero conſtruere non valere. In ipſarum autem refectione fideles Catholici calcem, lapides, ligna vendere nequeunt, ut docent Azor. *p. 2. lib. 8. inſtit. c. 21. q. 5.* Riccinlus *de jure perſon. lib. 2. c. 39. n. 3.* Licet enim Eccleſia ſinat Judæos veteres Synagogas reficere, tamen Catholici hoc faciendo peccant, quia non recte ſequitur: Judæi poſſunt reficere Synagogas veteres: Ergo ad hanc refectionem poſſunt cooperari Chriſtiani. Nam hoc dato ſequeretur, quod omnia quæ tolerantur a Judæis, poſſent fieri per Chriſtianos, contra textus diſertos *in canon. 63. Apoſt.* ibi: *Si clericus, vel laicus ingrediatur ſynagogam Judæorum ad orandum, deponatur, & excommunicetur*. Et *canon. 70.* ibi: *Epiſcopus, Presbyter, Diaconus, Clericus jejunans cum Judæis, vel feſta celebrans, vel xenia feſtorum ab eis accipiens, ut azyma, vel aliud quid, deponatur; laicus excommunicetur*. Et *can. 71.* ibi: *Si Chriſtianus oleum deferat in templo Gentilium, vel in Synagoga Judæorum in eorum feſtis diebus, aut lucernas incendat, excommunicetur*. Synodus Laodicen. *can. 37. & 38.* Non autem licet illis ampliores, & pretioſiores Synagogas facere, *c. conſuluit, h. t.* Unde conquerebatur Clemens IV. *epiſt. ad Epiſcopos Poloniæ*, ibi: *Synagogas Judæi ædificant plumbo tectas deſuper, intus diverſis coloribus depingunt, in tantam aut altitudinem producuntur, ut earum reſpectu decorem domus Domini perdidiſſe in Polonia videantur*. Aliquando tamen inſpiratione divina fuiſſe a Chriſtianis dirutam Synagogam legimus apud Greg. Turon. *lib. 6. c. 11.*

Nec obſtat dubitandi ratio ſupra adducta; nam licet perduellium, & ſimilium reorum domus diruantur, delabraque, & templa Gentilium, tamen Synagogæ Judæorum tolerantur ex variis rationibus. Prima, quia dum intra eas Judæi congregantur ſine fidelium ſcandalo, licet peccent in Deum, non agnoſcendo fidem Catholicam, non tamen peccant in ipſam religionem Chriſtianam, aut proximum. Secunda, nam tolerantur cæremoniæ Judæorum, non vero Paganorum; quia in ritibus Judæorum olim præfigurabatur veritas fidei, quam tenemus: unde nobis reſultat, quod teſtimonium fidei noſtræ habemus ab hoſtibus, & quaſi in figura nobis repræſentatur. Ritus autem Paganorum nihil utilitatis afferunt, quare permitti non debent a Principibus Catholicis: mala enim, ſeu peccata tolerantur, vel propter aliquod bonum, quod ex illis provenit, vel propter aliquod malum, quod evitatur, docet D. Thomas *2. 2. q. 10. art. 11.* Quare cum neutrum ex his proveniat templis Gentilium, ideo diruenda ſunt, ut demoliri fecerunt Imperatores Catholici variis conſtitutionibus, quæ extant tam in Codice Theodoſiano, quam Juſtin. *ſub tit. de paganis*, & referunt Sozom. *lib. 4. c. 1.* Alciatus *lib. 1. parerg. c. 13.* Solorz. *tom. 1. lib. 2. c. 10.* ubi *n. 15.* refert hiſtoriam textus *in l. 1. C. de paganis*, Baron. *anno Domini 326.* Ficlerus *in Theolog. juridic.* licet aliquando etiam a Principibus Catholicis templa illa permiſſa legamus, ut *in l. 2. C. Theodoſ. de fid. Cathol.* ſaltem ut negotiandi cauſa, non vero ſacrificandi, ibi conveniretur, *l. ædem 8. C. Theodoſ. de paganis*: aut ne illis dirutis aſpectus urbium deformaretur, *l. ſicut 15. l. 18. C. Theod. de pagan.* Quæ ratio quia ceſſabat in agris, ideo permiſſum fuit templa in eis poſita diruere; *l. ſi qua 16. C. Theod. eod. tit.* refert Baronius *anno 401. n. 17. & 39.* Aliquando etiam templa ipſa deſtructis eorum aris, uſibus publicis aſſignata fuerunt, *l. templorum 19. C. Theodoſ. eod. tit.* quæ lata eſt anno 408. ubi etiam detractæ fuerunt annonæ, & redditus quæ ſemenſtrem annonariam juvarent (ſic legendum eſt, non *videntur*,) ut præſenſit Salmaſius *in notis ad Vopiſcum in Aureliano*. ideſt, ut redditus eorum publicæ annonæ deſervirent, *l. 4. C. de diverſ. prædiis, l. fin. C. de fundis patr.* Nec obſtat argumentum difficultatis deductum ex dictis Conciliis Tolet. & Narbonenſi. Nam reſpondendum eſt, quod licet Judæis permittatur Synagogas reficere, in eiſque convenire, ad ſuos ritus peragendos, ſolemnitateſque celebrandas conſuetas; tamen novas inſtituere, aut antiquas reficere publice in opprobrium religionis Catholicæ, & ſcandalum fidelium, illis prohibetur, ut *in d. can. 9. Concilii Narbon.* ubi prohibetur, ne cum cantu deferant Judæi cadavera defunctorum, quia illi noviter cantum adhibere in ſuis funeribus intendebant; ideo illis tantum permittitur cadavera juxta veteres ritus deferre. In dicto autem Concilio Tolet. 12. prohibentur cæremoniæ illæ Judæis jam baptizatis, non vero illis exiſtentibus in ipſa perfidia Judaica, quod facile probatur; nam in eo referuntur leges Recceſvinti Regis, quæ extant *in tit. 2. lib. 12. fori judic.* & in earum prima expreſſe agitur de Judæis baptizatis utentibus priſcis cæremoniis, quam prohibitionem firmarunt PP. *in d. Concil. Tolet. 2. can. 9.* Nec obſtat ultimum argumentum deductum *ex d. l. 1. §. fin. de mortuo infer.* nam longe aliud eſt facere, aliud vero reficere, *l. 3. §. pen. ff. de itinere, actuque*, licet verbum faciendi generaliter ſumptum, etiam refectionem contineat, quo modo accipitur in edicto de mortuo inferendo, quam doctrinam ad praxim in pluribus caſibus admittit Marinis *lib. 2. reſol. c. 173.*

11 Exponitur l. Judæos C. de Judæis. Manet ergo, Judæis ſimul cum Catholicis commorantibus permitti Synagogas habere, eaſque reficere, ac in eis cæremonias ſuas, & feſtivitates celebrare, dummodo inde ſcandalum fidelibus non præbeant, aut aliquid in opprobrium Chriſtianæ religionis intendant. Unde exponendus eſt textus in

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.



*in l. Judæos, C. de Judæis*, qui extat *in l. 18. C. Theod. eod. tit.* in hæc verba: „ Judæos quodam feſtivitatis ſuæ ſolemni die Aman ad pœnæ quondam recordationem incendere, & ſanctæ crucis aſſimulatam ſpeciem in contemptum Chriſtianæ fidei ſacrilega mente exurere, provinciarum Rectores prohibeant, ne locis ſuis fidei noſtræ ſignum immiſceant, ſed ritus ſuos infra contemptum Chriſtianæ legis retineant, amiſſuri ſine dubio permiſſa haſtenus, niſi ab illicitis temperaverint. Cum enim Aman, Regis Artaxerxis, quem ſacræ litteræ Aſſuerum appellant, Præfectus, decem millia talentorum Regi pollicitus obtinuiſſet, ut certa die omnes Judæi occiderentur, Mardochæi, & Reginæ Eſter opera fraude detecta, Aman in ligno, cui Mardochæum affigere ſtatuerat, ſuſpenſus fuit, Judæique eadem die quamplures ex hoſtibus interfecerunt, ut refertur Eſther *c. 3.* & tradunt Joſephus *lib. 11. antiquitat. c. 6.* Baronius *tom. 5. anno 408. fol. 276.* ob cujus caſus memoriam Judæi quotannis feſtum celebrabant, in quo effigiem Aman cruci affixam incendebant, *xiv.* vel *xv.* die menſis Adarii, qui Februario, & Martio reſpondet. Ut enim iſta feſtivitas celebrior haberetur, crucis, cui aliquando affixus Aman fuerat, ſimulacrum exurere ſolebant, ac ſi de atrociſſimo hoſte pœnam ſumerent. Ex variis refert Jacob. Goth. *in eodem textu, in Theod.* Sed cum poſt Chriſti paſſionem ab omnibus Catholicis cultu latriæ crux veneretur, *c. ſi canonici, §. fin. de offic. ordin. lib. 6. l. decernimus, C. de Epiſc. & Cler. l. quis. C. nemini licere, l. fin. §. ſin autem, Cod. de jure delib. Novel. 5. Juſtin. c. 1. & 15. c. 1. & 123. c. 32.* plura Creſpetius *in ſumma, verbo Crucis adoratio*, Valq. *in 1. p. q. 25. art. 3. diſput. 113.* Bellarm. *tom. 1. controv. lib. 2. de Eccleſ. c. 17. 18. & 19.* Azor. *part. 1. inſtit. lib. 9. cap. 6.* Suarez *adverſ. Reg. Angl. lib. 2. c. 14.* Pii Imperatores Honorius, & Theodoſ. prohibuerunt, ne deinceps Judæi in Chriſtianæ religionis contemptum crucem incenderent, aut ne ſacro ſigno in ſuis jocis (ita legendum eſt, non *locis*,) uterentur, quia exinde opprobrium Chriſtianæ religionis ſequebatur. Prælenſerunt Pancirol. *lib. 2. var. c. 179.* Marnacius, & Jacob. Gothofr. *in eo textu* P. Burgis *lib. 1. elect. c. 15.*

12 Exponitur Clement. unic. h. t. Deinde ex hucuſque traditis lucem accipit textus *in Clement. unic. h. t.* ubi prohibetur Saracenis ſimul & communiter habitantibus cum Chriſtianis, alta voce clamare, ut convocentur in Mezchitam, illis verbis: *Logilla ali alla*, ideſt, non alius victor, niſi ſolus Deus: quæ verba & in ſuis ſcutis Saraceni portant ad honorem Mahometi profitendum, ut referunt Calcondylas *lib. 7. de reb. Turcic.* Pineda *lib. 17. monarch. c. 11.* Lorca *in catechiſ. in vita Mahometi*, & conſtat ex ipſo Alcorano *azora 4. 12. & 13.* cum inde apud Chriſtianos ſcandalum oriretur, & talis vociferatio in opprobrium Chriſtianæ religionis cederet. Ideoque PP. Concilii Viennenſis *in d. Clement.* 1. ſimilem cæremoniam Saracenis prohibuerant, etſi privatis, & in locis abditis ſimiles ritus colerentur, ut conſtat ex Beato Germano Patriarcha CP. *epiſt. ad Thomam Epiſcopum Claudiopolitan.* relata in Concilio Niceno 2. *actione 4.* in illis verbis: *Saraceni ſufficit, quod in eremo lapidi inanimato ſacrificia faciant, acclamentque hunc vocem, Chabar quod a patribus acceptum per ſueſſia myſteria, & feſta peragant*. Pro cujus textus expoſitione ſciendum eſt, Saracenos lapidem, quem Bachtam vocant, magna veneratione colere, tum quia Abraham illic camelum alligaſſet, cum immolaturus eſſet Iſaac, tum quia Veneris effigies in eo lapide ſculpta erat, ut referunt Euthymius *panoplia tit. 24.* Joannes Filelac. *lib. 1. ſelect. c. 23. fol. 209.* Cui lapidi ſacrificia offerebant in eremo, ideſt in deſerto Pharam, ut exponens ea verba refert Zerda *in adverſ. ſacris, c. 46. n. 10.*

Etiam ex ſupra traditis exponi poteſt textus *in canon. 90. Concilii Illiberitani.* cum adductis in ejus notis, & juncto Solorz. *tom. 1. de jure Indiar. lib. 2. cap. 10. n. 90.*

## C A P U T IV.

*a* Alexander III.

QUia ſuper iis, unde ad nos in litteris tuis de Judæis ſcripſiſti, certum *b* canonem non habemus, f. t. ſignificatione præſentium intimamus, quod Clero tuo in unum pariter convocato, generaliter tam noſtra, quam tua auctoritate indicas, ut Judæi oſtia, vel feneſtras in die Paraſceves apertas non habeant, ſed eas per totum diem clauſas. *c* Mancipia quoque Chriſtiana nulla cum eis habitare permittas, ſed generaliter cunctis edicas, ne aliquis Chriſtianorum in eorum ſervitio audeat *d* commorari, ne forte ex ipſorum converſatione ad Judaiſmi perfidiam convertantur.

N O T Æ.

1 a ALexander.) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c. fin.* ſed addendum eſt, Maſſilienſi Epiſcopo, ut *in d. c. de Judæis, de decimis*, ubi extat ſecunda pars hujus decretalis, ut jam ibi notavimus. Maſſilia eſt Galliæ Narbonenſis urbs maritima, eademque antiquiſſima, & potentiſſima, & moribus cultiſſima, Phocenſium colonia, ab illis condita olympiade 45. anno 3424. quem annum ſic notavit Euſebius *in chron. Maſſilia civitas condita Galliæ*. Ejus meminerunt Ceſar *lib. 2. de bello civili*, Juſtinus *lib. 43.* Tul. *in orat. pro Flacco*, Herodot. *lib. 5.* Salin. *cap. 8.* qui referunt plura de Maſſilien. Repub. adducente Aloix *ad vitam S. Irenæi, c. 4.* Fratres Sammarth. *tom. 3. Galliæ, fol. 639.*

2 b *Canonem*.) Circa oſtia, ſeu feneſtras Judæorum in die Paraſceves clauſas: nam ut illi eo die uſque ad Paſcha non poſſent quaſi inſultationis cauſa per forum, aut plateas ambulare, prohibitum fuerat *can. 19. Concilii Aurel. 3.* his verbis: *Judæi a die cœnæ Domini uſque ad ſecundam Sabbati in Paſcha, hoc eſt ipſo quatriduo, procedere inter Chriſtianos, neque Catholicis populis ſe ullo loco, vel quacumque occaſione miſcere præſumant*. Ubi notavit Binius. Maticon. *can. 14. Judæi a cœna Domini uſque ad primum diem poſt Paſcha, ſecundum edictum bonæ recordationis D. Childeberti Regis, per plateas, aut forum, quaſi inſultationis cauſa, deambulandi licentia denegetur, & ut reverentiam cunctis ſacerdotibus Domini, vel clericis impendant, nec ante ſacerdotes conſeſſum, niſi ordinati habere præſumant, qui hoc facere ſorte præſumpſerit, a judicibus locorum, prout perſona fuerit, diſtringatur*. Meldenſe *can. 73.* Childebertus Rex Francorum: *Judæis a cœna Domini uſque in primum Paſcha per plateas, aut forum, quaſi inſultationis cauſa, deambulandi licentia denegetur*. Refert Ant. Auguſt. *in epit. juris, lib. 12. tit. 10.* & poſtea firmavit Innoc. III. in Concil. Later. relato *in c. 15. hoc tit.* Cum enim, ut ſuperiori commentario diximus, non poſſent Judæi commorantes permixtim cum Chriſtianis, illis occaſionem ſcandali non præbere, debent cogi his diebus, in quibus paſſionis Domini, redemptioniſque noſtræ memoria colitur, claudere oſtia, & ſe cohibere ab omni inſultatione, & etiam debent cogi domus, pariteſque ſuas tapetibus ornare, ut faciunt Chriſtiani, quando augusta, ſacroſanctaque Euchariſtia proceſſionaliter defertur per civitatem. Reſolvit Tondut. *lib. 1. var. c. 8. per totum*.

c *Mancipia quoque*.) Hanc partem expoſui ſupra *in cap. 1. hoc titul.*

d *Commorari*.) Ut dicemus infra *in c. ad hæc*.

## C A P U T V.

*Ex Concilio a Lateran.*

*b* JUdæi, ſive Saraceni, neque ſub alendorum ſuorum puerorum obtentu, neque pro ſervitio, vel alia qualibet cauſa Chriſtiana *c* mancipia in domibus ſuis permittantur habere. Excommunicentur autem, qui cum eis præſumpſerint habitare. *d* Teſtimonium quoque Chriſtianorum adverſus Judæos in communibus cauſis, cum illi adverſus Chriſtianos teſtibus ſuis utantur, recipiendum eſſe cenſemus, & anathemate decernimus feriendos quicumque Judæos Chriſtianis voluerint in hac parte præferre, cum eos Chriſtianis ſubjacere oporteat, & ab eis pro ſola humanitate foveri. Si qui præterea Deo inſpirante ad fidem ſe converterint chriſtianam, a *e* poſſeſſionibus ſuis nullatenus excludantur, cum melioris conditionis converſos ad fidem eſſe oporteat, quam antequam fidem ſuſceperint, habebantur. Si autem ſecus fuerit factum, Principibus, ſeu poteſtatibus eorumdem locorum ſub pœna excommunicationis injungimus, ut portionem hæreditatis, & bonorum ſuorum ex integro eis faciant exhiberi.

N O T Æ.

a LAteran.) Ita etiam legitur in prima collectione *ſub hoc tit. c. 5.* reperitur textus hic in ipſo Concil. Lateran. *c. 26.* prout in præſenti tranſcribitur.

3 b *Judæi ſive Saraceni*.) Judæi dicti ſunt a Juda quarto Jacobi filio, & ab eis Paleſtina Regio in Syria dicta fuit Judæa, quia ibi habitarunt. Joſephus *lib. 11. antiquit. cap. 5.* Joannes Bohemus *de moribus mundi Romani, in Republica Hebræorum c. 3.* Dicti etiam fuerunt Iſraelitæ, & Hebræi, ab Heber abnepote Sem, filio Noachi; ut probat Saidas, *verbo Hebræi*. Tertul. *in apolog. c. 18. Hebræi retro, qui nunc vocantur & Judæi*. Probant Fintianus *lib. 4. inſtit. cap. 10.* Tuſinus *lib. 21. annal.* P. Gregor. *lib. 2. partit. tit. 5. c. 1.* Malvenda *de Antichriſt. lib. 11. c. 2.* Saracenorum etymologias variis

riis adduxerunt Sozomenus *lib. 6. c. 38.* D. Hieronymus *in Eſaiam, c. 21.* Socrates *lib. 4. c. 29.* Euſebius *lib. 6. cap. 6.* Beyerlinch *tom. 7. verbo Saraceni*, Aldrete *in origine linguæ Latinæ, lib. 1. c. 22.* Petrus Gregor. *ubi proxime*, Covarruv. *lib. 4. variar. c. 9.* D. Hieronymus à Sara uxore Abrahæ ita dictos fuiſſe docet, quod & probat Alfonſus noſter *in l. 1. tit. 25. part. 7.* quam etymologiam etſi impugnet Scaliger *in Euſebium*, defendit tamen Cinnulus *in prafatur.* Alii Saracenos dictos fuiſſe à Saraca urbe Arabiæ, aſſerunt, ut referunt Paulus Æmilius *lib. 7. Francor. Hiſtor.* Faciunt Ptolomeus *lib. 6. Geograph. c. 7.* Mareſlinus *lib.* 3. ibi: *Et in Aſia Albanos nunc vocamus, & ſcenitas Arabas, quos Saracenos poſteritas appellavit.* Notavit Uſelius *ad Cujac. anil. c. 9.* Nunc autem nomina hæc religionis ſunt, non gentis, & Judæi cenſentur quicumque veteris Teſtamenti ſoli cortici hærentes, novum omnino rejiciunt, Saraceni, qui utrumque ex parte ſaltem admittunt, ſed cum impio Mahometi Pſeudoprophetæ Alcorano; ſicut etiam Pagani communi nomine dicuntur, & Gentiles, ſeu Ethnici, aliique, qui numina falſa colunt, *in rubric. C. de paganis.* His adjunguntur Cælicolæ *in rubric. C. de Judæis, & Cælicolis.* Et licet olim non alii fuiſſent Cælicolæ, quam Judæi, poſtmodum tamen Chriſtiana religione florente Cælicolas à Judæis ſecretos fuiſſe ſuadet lex 12. *C. de Judæis*, & notarunt de eis adducentes plura Joannes Piteſacus *lib. 1. ſelect. cap. 12.* & Gothofred. *in l. 19. C. Theodoſ. de Judæis.*

c *Mancipia.*) Juxta tradita ſupra *in c. 1.*

d *Teſtimonium.*) Verba quæ ſequuntur, extant *in c. Judæi, de teſtibus.*

e *A poſſeſſionibus ſuis.*) Imo magnopere fovendi, magniſque privilegiis decorandi ſunt. Conc. Tolet. 16. *can.* 1. quod circa Judæos noviter converſos expreſſe ſtatuerunt Paulus III. in ſua bulla, & Magni noſtri Monarchæ ſuis legibus ſanxerunt, quas refert Solorz. *tom. 1. de jure Ind. lib. 1. c. 18. n. 40.*

## CAPUT VI.

a *Ex eodem.*

ITa quorumdam animos occupavit ſæva cupiditas, ut qui glorientur nomine Chriſtiano, Saracenis arma, ferrum, & lignamina deferant gallearum, & pares, aut etiam ſuperiores in malitia fiant illis, dum ad impugnandos Chriſtianos arma eis, & neceſſaria ſubminiſtrant. Sunt etiam, qui pro ſua cupiditate in galleis & piraticis Saracenorum navibus regimen, & curam gubernationis exercent. Tales igitur ab Eccleſiæ communione præciſos, & excommunicationi pro ſua iniquitate ſubjectos, & rerum ſuarum per Principes Catholicos, & Conſules civitatum privatione mulctari, & capientium ſervos, ſi capti fuerint, fore cenſemus. Præcipimus autem, ut per Eccleſias maritimarum urbium crebra, & ſolemnis in eos excommunicatio proferatur.

### NOTÆ.

1 a EX *eodem.*) Lateranenſi videlicet Concilio, ut habetur in prima collectione, *ſub hoc tit. c. 6.* & in ipſo Conc. *c.* 24. ex quo textum tranſcribo.

### COMMENTARIUM.

2 *Concluſio traditur & probatur.* EX his duobus Concilii Lateran. canonibus talis deducitur aſſertio: *Chriſtiani deferentes ad Saracenos arma, vel in eorum navibus regimen exercentes, excommunicantur, rebuſque propriis privantur, & capientium ſervi fiunt.* Probant eam textus *in c. ſignificavit 11. c. quod olim, c. ad liberandum, 17. hoc tit.* Innoc. III. *lib. 1. epiſt. in edit. Colonie, fol. 158.* ibi: „ Illud etiam Later. Concilii conſtitutam curavimus innovare, quod eos, qui Saracenis arma, ferrum, lignamina gallearum miniſtrare præſumpſerint, & in galliis, & piraticis eorum navibus curam gubernatoris, & regimen exercere, ab Eccleſiæ communione præciſos, & excommunicationi pro ſua iniquitate ſubjectos, rerum ſuarum per principes ſæculi Catholicos, & Conſules civitatum privatione mulctari, & capientium ſervos, ſi capti fuerint, fore decernit; „ Extravag. *ita quorumdam, hoc tit.* Extravag. *multa, eod.* Nicolaus in Bulla edita anno 1450. quæ eſt quarta hujus Pontificis in Bullario, Greg. IX. *epiſt.* 9. „ Innovamus præterea excommunicationis ſententiam in Lateranenſi Concilio promulgatam adverſus eos, qui Saracenis arma, ferrum, & lignamina deferunt gallearum. „ Julius II. in ſua conſtitutione 25. quæ extat *tom. 1. Bullarii*, Paulus III. in ſua conſtitutione edita anno 1530. quæ eſt 10. ipſius Pontificis in Bullario. Paulus V. in ſua conſtitutione 63. quæ extat *tom. 3.* Bullarii. Gregorius XIII. in conſtitutione, quam refert Navarrus *in præſenti*, Martinus V. in bulla Cœnæ Domini, *c.* 7. Conſonat lex 4. *tit. 21. p. 4.* Illuſtrant ultra congeſtos in præſenti à Barboſ. Scort. *in ſelect. conſt. Pontif. theor.* 102. 103. & 146. Leo Duardus *in comment. ad Bull. Cœnæ, lib. 2. c. 7.* Suarez *de cenſur. diſp. 21. ſect. 2.* Fragoſo *de regim. Chriſt. Reip. tom. 2. lib. 1. diſp. 3. §. 7. n.* 148. Borellus *de præſtantia Regis c. 9. a n.* 48. Solorz. *lib. 2. tom. 1. c. fin. n.* 70. Hermoſilla *in l. 12. tit. 3. p.* 3. Molina *de juſtitia diſp.* 303. Salcedo *in tract. de contrahendo, c.* 3. Ant. Aug. *in epit. lib. 14. tit.* 21. Guttier. *lib. 1. de delict. c. 27. & 28.* Petr. Greg. *lib. 4. partit. tit. 16. c.* 5. Solorz. *lib. 2. de jure Indiar. c.* 25. Gibalinus *de cenſ. diſquiſit. 5. q. 5. concluſ.* 11. *& in ſynopſi, verb. Arma*, & de negotiatione *lib. 1. c. 7. art.* 1. Cujac. *ad tit. C. quæ res exportari*, Valenzuela *tom. 1. conſil.* 59. F. Raphael *de la Torre in 2. 2. q. 3. q.* 51. Cabedo *2. p. dec. 62. & 150.* Petr. Albanus *in repert. ad tit. de ſagittariis, n. fin.* Phil. Camerar. *tom. 1. horarum ſubciſ. c.* 79.

Sed pro dubitandi ratione ita in præſentem aſſertionem inſurgo. Contractus, præcipue emptionis, & venditionis juris naturalis ſecundarii (quod alii jus gentium appellant,) ſunt, *l. ex hoc jure, ff. de juſt. & jure*, ubi Oroſius, & Benedictus Ægidius *§. jus autem, Inſtit. de jure naturali.* Probant late Bobadilla *lib. 1. polit. c. 1. n.* 4. Mozius *de contract. tit. de orig. contractuum*, Beſoldus *in diſſert. de jure & diviſ. rer. c. 4. per totum*, Petrus Greg. *lib. 4. de republ. c. 7.* Scaccia *de commerc. q. 1. §. 1. per totum.* Igitur Eccleſia non potuit prohibere venditionem armorum, & cæterarum mercium, de quibus in præſenti, Saracenis, ſeu Infidelibus, neque tranſitus, aut navigatio contra ſocietatis humanæ, & chriſtianæ charitatis regulas prohiberi debet, *l. libertas, ff. de oper. libert. l. 7. ff. de ſervis export. l. in creditoris, ff. de evict. l. 2. §. item Varus, ff. de aqua pluvia*, Cancer. *3. var. c.* 13. Grotius *de jure belli, lib. 2. c. 2. n.* 12. Accedit utilitas commerciorum, præcipue cum exteris nationibus, & cum gentibus finitimis, quam probant, & valde commendant Plato *lib. 1. de republ.* Petr. Greg. *eod. tract. lib. 1. c. 1. & 3.* Bodinus *eod. tract. lib. 1. c.* 6. Igitur non recte in præſenti commercii uſus interdicitur cum Infidelibus & Saracenis. Etiam difficilis eſt præſens conſtitutio in pœna, quam imponit Chriſtianis ſuſcipientibus regimen navium, videlicet ut capientium ſervi fiant; nam libertas juris naturalis eſt, *l. ſumma 3. ff. de ſtatu hominum, §. 1. Inſtit. de libertin.* ubi plura Inſtit. Connanus *lib. 2. comment. c.* 2. Ergo lege poſitiva contra jus naturale ſervitus conſtitui non poteſt.

3 *Traditur ratio dubitandi.* Qua dubitandi ratione non obſtante, vera eſt præſens aſſertio, cujus ratio ex eo provenit, nam certum eſt, poſſe Principem juſtis ex cauſis prohibere ſubditis propriis, & vaſallis, ne cum mercatoribus exteris commercium exerceant, *l. Divus, ff. de ſervit. ruſtic. præd. l. ſunt, §. Ariſto, ff. ſi ſervitus vindicetur, l. hæres, ff. de uſur. l. ſed ſi pupil. 11. §. item ſi non plures, ff. de inſtitor. act.* ibi: „ Nam & certam perſonam poſſumus prohibere contrahere, vel certum genus hominum, vel negotiatorum, & certis hominibus permittere, & ſimiliter certas res ad exteras nationes deferre, præcipue cum quibus bellum geritur. „ Et *l. cotem ferro, ff. de publican. l. 2. & per totum C. de nautico fœnore, l. nemo, C. de ſeveribus lib. 12. l. pen. C. de contrahend. empt. l. 2. C. non lic. habit. Maonet. lib. 11. l. 2. C. quæ res export.* late probant Rodericus Suarez *allegat.* 18. Bobadilla *lib. 2. polit. c. 5. & l. 4. per totum*, Guttier. *practicar. qq. lib. 4. q. 37. uſque ad 46.* Giurba *conſil. 16. à n.* 15. Valenzuela *conſil. 39. & 52.* Cancerius *tom. 3. variar. c. 19. n.* 155. Salcedo *de contrahendo, c.* 3. Thomas Delbene *de Parlamentis, c. 4. ſect.* 30. Ratio eſt, ne arma promptius in nos convertant, ut obſervant Cujac. & Gothofredus *in d. l. 2. C. quæ res*, Alciatus *lib. 2. diſpunct. c.* 16. Ripa *de peſte, tit. de remediis ad conſerv.* Alia ratio additur *in l. Mercator 4. C. de commerc. & mercat.* ne alieni Regni, quod non convenit, ſcrutentur arcana. Facit lex 2. *quando, & quibus quarta pars.* Facit edictum Theodorici apud Caſſiodorum *lib. 2. var. c.* 12. ibi: „ Si deſideriis noſtris commercia peregrina famulantur, ſi prolatum auro acquiritur æterna devotio, quanto magis ſuis bonis abundare debet Italia, cum nulla in præbendo probetur ſentire detrimenta. Et ideo lardi ſpecies nullatenus jubemus ad peregrina tranſmitti, ſed in uſus noſtros propria divitiate ſerventur, ne quod in noſtris partibus conficitur, noxia diligentia deeſſe videatur. „ Quod præcipue procedit cum merces deferuntur ad hoſtes, & barbaras gentes, *l. 2. C. quæ res exportari*, juxta quam diſtinctionem recipiendus eſt textus *in l. allegati 8. C. de vectig. & commiſſ.* ſæpe enim transfugæ uſum armorum, artemque fabricandi ea tranſtulerunt ad Barbaros maximo cum ſuorum detrimento. Exemplum extat apud Herodianum *lib.* 3. Quare eos, qui naves conficere barbaros docuerant, capitali ſupplicio punitos legimus *in l. his qui, C. de pœnis*, & eodem jure illud cautum eſt, ut cujuſcumque opera & dolo malo hoſtes noſtri commeatu, armis, telis, equis, pecunia, aliave qualibet re adjuti fuerint, tanquam læſæ Majeſtatis reos puniendos eſſe, *l. 3. ff. ad leg. Jul. maieſt.* adde legem 3. *C. de ſervis fugit.* & Caſſiodorum *l. 2. var. c.* 12. notarunt & illuſtrarunt Stenbechius *ad Vegetium, leg. 4. de re milit. cap.* 8. Petrus Faber *leg. 1. ſemeſtr. cap.* 16. Solorzanus *l. 2. de jure Indiar. c.* 15. Lipſius *ad Tacitum l. 2. annotat.* 66. Salmaſius *in notis ad Vopiſcum, fol.* 388. Mercuralis *leg. 1. variar. cap.* 24. & *leg. 6. cap.* 26. quæ omnia ſi juſte ſtatuta ſunt, & procedunt in deferentibus merces ad hoſtes, exteraſque nationes, quanto majori cum ratione obſervari debent in deferentibus arma, & ſimilia ad Saracenos, Turcas, Hæreticos, aliosque Chriſtianæ religionis hoſtes. Quare tot Eccleſiæ conſtitutionibus ſub graviſſimis pœnis, & cenſuris id prohibitum fuit, circa quas varios caſus examinant, & exponunt Duardus, Fragoſo, & alii ſcriptores in Bullam Cœnæ Domini, Scortia, & Gibalinus *ubi ſupra.* Illud



lud omittendum non eſt, Inquiſitores hæreticæ pravitatis in Hiſpania procedere contra deferentes arma, vel equos ad infideles. Cantera *qq. crimin. c. 1. n.* 68. Diana *p. 4. tit. 7. reſol.* 19. & in Inquiſitionibus Aragoniæ etiam proceditur in exportantes equos in Galliam Bobadilla *tom. 1. polit. c. 14. n.* 51. Carena *de offic. Inquiſit. 2. p. t. 17. §.* 20.

4 Nec obſtat dubitandi ratio ſupra adducta; nam licet contractus emptionis, & venditionis juris gentium ſit, & ideo Principes abſolute ſubditis illum prohibere non poſſint, tamen reſpectu aliquarum perſonarum, ſeu rerum ex juſtis cauſis ſimile commercium interdicere valent, quia talis prohibitio nititur potentiori, naturalique ratione; nam ut inquit Alb. Gentil. *l. 1. de jure belli, c.* 21. jus commerciorum æquum eſt: at æquius tuendæ ſalutis eſt. Illud gentium jus, hoc naturæ eſt. Illud privatorum eſt, hoc regnorum. Cedat igitur regno mercatura, homo naturæ, pecunia vitæ, ut proſequitur Arniſæus *l. 1. de republ. c. 3. ſect.* 3. Unde ex ratione proxime adducta potuit Eccleſia prohibere Catholicis venditionem armorum, & ſimilium rerum cum Saracenis, & Infidelibus. Nec obſtat augmentum ipſius difficultatis: nam licet libertas juris naturalis ſit, tamen alia potentiori naturali ratione plerumque ſervitus admittitur contra ipſum jus naturale, ut probavi *in c. fin. de ſervis non ordin.* & inter eos enumeratur caſus, cum quis in pœnam delicti admiſſi libertatem amittit, ſervuſque fit, veluti jure civili, ſi homo liber ad pretium participandum ſeſe venundari paſſus ſit, & jure canonico filii à clericis procreati ex concubinis ſervi naſcuntur, ut probavimus *in c. 1. de filiis presbyt.* Unde recte, pleneque in præſenti caſu, cum pœna capitis jure civili ſtatuta eſſet in eos, qui arma & merces prohibitas ad hoſtes exportarent, *l. cotem, ff. de publican. l. fin. C. quarum rerum, l. 2. & 4. C. de commerciis, l. nemo, C. quæ res exportari, Novell. 63.* Lucius *l. 22. tit. 5. p. 5.* Cujac. *in d. l. cotem, & ad tit. C. quæ res exportari*, Alb. Gentil. *de advocat. Hiſp. l. 1. c.* 20. Bobadilla *l. 4. polit. c.* 5. Eccleſia potuit imponere ſervitutis pœnam deferentibus arma ad Saracenos, aut in eorum navibus regimen accipientibus.

## CAPUT VII.

a Alexander III.

COnſuluit, &c. Judæos etiam de novo conſtruere ſynagogas, ubi eas non habuerunt, pati non debes, verum ſi antiquæ corruerint, vel ruinam minantur, ut reædificent, poteris æquanimiter tolerare, non autem ut eas exaltent, aut ampliores, aut pretioſiores faciant, quam antea fuiſſe noſcuntur, qui utique pro magno debent habere, quod in veteribus ſynagogis, & ſuis obſervantiis tolerantur.

### NOTÆ.

a ALexander III.) Ita etiam legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. cap. 1. & in cap. conſuluit 29. de appellat.* ubi extat alia pars hujus textus, ut ibi notavi, & commentarium dedi ſupra *in cap.* 1.

## CAPUT VIII.

a Alexander III.

AD hoc præſentium auctoritate mandamus, atque præcipimus, quatenus omnibus Chriſtianis, qui ſunt in juriſdictione veſtra, penitus interdicatis: & ſi neceſſe fuerit, eos eccleſiaſtica diſtrictione compellatis, ne ipſi Judæorum ſervitio aſſidue pro aliqua mercede ſe exponant, quod etiam obſtetricibus, & nutricibus eorum prohibere curetis, ne infantes Judæorum in b domibus eorum nutriri præſumant, quoniam Judæorum mores, & noſtri in nullo concordant, & ipſi de facile ob continuam converſationem, & aſſiduam familiaritatem, inſtigante humani generis inimico, ad ſuam ſuperſtitionem, & perfidiam ſimplicium animos inclinarent.

### NOTÆ.

a ALexander III.) Ita etiam legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. c. 2.* ubi additur, *pars capitis Licet.* Unde cognoſcitur, in præſenti referri partem textus *in c. licet 23. de teſtibus*, & integra decretalis extat poſt Conc. Lat. ſub Alex. III. *part. 10. cap.* 2.

b *Domibus.*) Unde dubitari ſolet, an ſaltem extra domum poſſint Judæi habere Chriſtianas nutrices pro ablactandis filiis propriis. Et negativam ſententiam tenent in præſenti Joann. Andreas, Butrius *in fine*, Anania *n.* 5. Felinus *n.* 3. & alii, quos referunt & ſequuntur Azor. *tom. 1. inſt. l. 8. c.* 22. *q.* 9. Sanchez *l. 2. ſumma, c. 31. n.* 19. Ricciulus *l. 2. de jure perſon. c. 28. n.* 17. quæ ſententia verior eſt, etſi contrariam teneant Gloſſa *in præſenti*, Cardinalis *v. Oppone*, Socinus *n.* 4. Abbas *n.* 2. nam cum præſens prohibitio ea nitatur ratione, videlicet ut communio Judæi cum Chriſtiana vitetur, & hæc ratio æque militet, cum filii Judæorum à nutricibus Chriſtianis, etiam extra domum ablactantur, idem jus ſtatuendum eſt, argumento legis *illud, ff. ad leg. Aquil.*

### COMMENTARIUM.

5 CUm omnis communio etiam politica Chriſtianis cum Judæis prohibita ſit, *cap. omnes 14. 28. q. 1. c. ſæpe 33. 8. q.* 1. Conc. Illib. *can.* 50. *Si clericus, vel fidelis cum Judæis cibum ſumpſerit, à communione abſtineat, ut emendetur.* Epaun. *can.* 15. *Judæorum convivia etiam laicos conſtitutio noſtra prohibuit, & ne cum illis clericus panem comedat, quiſquis in Judæorum fuerit convivio inquinatus.* Veneticum *can.* 12. Agathenſe *can.* 40. Aurel. 3. *can.* 13. *Chriſtianis convivia interdicimus Judæorum, in quibus ſi forte fuiſſe probantur, annuali excommunicatione pro hujuſmodi contumacia ſubjacebunt.* Matiſcon. *can.* 15. *Nullus Chriſtianus Judæorum conviviis participare præſumat. Quod ſi facere quicumque, quod nefas eſt dici, Clericus, aut ſæcularis præſumpſerit, ab omnium Chriſtianorum conſortio ſe noverit compeſcendum.* Meldenſe *can.* 73. Metenſe *can.* 4. *Nemo Chriſtianorum cum Judæis manducet, & bibat, vel quidquid comedi, aut potari ſoleat, à Judæis accipiat.* Palentinum *anno* 1322. *can.* 21. Illuſtravi *in d. can. 50. Concil. Illiber.* Ideo ſæpe cautum legimus, ne Chriſtianus in famulatu, aut ſervitio Judæi ſit, etiam ut nutrix filiorum ejus, *c. Judæi, c. etſi Judæos, hoc tit. c. unic. hoc tit. in* 5. *compil.* ubi Honorius III. univerſis Epiſcopis Hungariæ ita ſcribit: *Nefas eſt, ut ſacri baptiſmatis unda renatus in infidelium ritu, vel converſatione ſudetur, aut religio Chriſtiana ſubjectis infidelibus polluatur.* Similiter ob vitandam ipſam communionem *in can. 10. Concil. Trul.* Epiſcopi Orientales diſerte vetant, ne quis, vel clericus, vel laicus, ſi in morbum inciderit, Judæum medicum quemcumque arceſſat, aut pharmacum ab eo accipiat, alioquin clericus deponatur, laicus vero excommunicetur. Quod idem in Occidente cavit Greg. XIII. in Bulla relata à Fileſacn *l. 1. ſelect. c.* 12. Illuſtrant alta congeſtos à Barboſa *in præſent.*, & à Cenedo *in collect. ad Decretum, collect.* 15. Majolus *dier. canicul. tit. de perfidia Judæor. fol.* 656. Sanch. *in præcepta Decalogi, l. 2. c.* 31. P. Suarez *de fide, diſp. 18. ſect.* 6. Azor. *p. 1. inſt. l. 8. c.* 22. Didacus Perez *in l. 4. tit. 3. l. 8. Ordin.* Ricciulus *l. 2. de jure perſon. c. 28. n.* 11. & etiam novo jure repetita eſt præſens prohibitio conſtitutionibus Pauli, quæ incipit, *Cum nimis*, §. 4. Greg. XIII. *conſt.* 70. quæ incipit, *Antiqua Judæorum*, ubi etiam ſtatuitur, ut eo caſu poſthac Judæi puniri ab Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis. Nec ad hoc poſſunt habilitari à Principe ſæculari, *cap. conſuluit 3. de appellat.* nec etiam ab Epiſcopis, cum hæc prohibitio ſit Concilii generalis, in qua Epiſcopus diſpenſare non valet, ut reſolvit Ricciulus *in d. c. 28. n.* 284.

## CAPUT IX.

a Clemens III.

SIcut Judæi non debent ſine licentia in b ſynagogis, ultra quam lege c permiſſum eſt, præſumere, ita in iis, quæ eis conceſſa ſunt, nullum debent præjudicium ſuſtinere. Statuimus enim, ut nullus Chriſtianus invitos, vel nolentes ad baptiſma eos venire compellat. Si quis autem ad Chriſtianos cauſa fidei confugerit, poſtquam voluntas ejus fuerit patefacta, Chriſtianus abſque calumnia d efficiatur: quippe Chriſtiani fidem habere non creditur, qui ad Chriſtianorum baptiſma non ſpontaneus, ſed invitus cognoſcitur pervenire. Nullus etiam Chriſtianus eorum quemlibet ſine judicio terrenæ Poteſtatis, vel vulnerare, vel occidere, vel ſuas illis pecunias e auferre præſumat,



BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.

mat, aut bonas, quas hactenus habuerunt, conſuetudines immutare, præſertim in feſtivitatum ſuarum f celebratione, quiſquam fuſtibus, vel lapidibus eos nullatenus perturbet, neque aliquis ab eis coacta ſervitia exigat, niſi quæ ipſi præterito tempore facere conſueverunt. Ad hæc malorum hominum pravitati, & avaritiæ obviantes decernimus, ut nemo cœmeterium Judæorum mutilare, aut invadere audeat, ſive obtentu g pecuniæ corpora humata effodere. Si quis autem hujuſmodi tenore decreti cognito (quod abſit,) contraire præſumpſerit, honoris, & officii ſui periculum patiatur, aut excommunicatione plectatur, niſi præſumptionem ſuam digna ſatisfactione correxerit.

## NOTÆ.

1 a *Clemens III.* ) Ita etiam legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. c. 3.* nullibi tamen exprimitur, cui reſcribat Pontifex. Eam conſtitutionem per eadem verba innovavit Innoc. III. *l. 2. epiſt. 80.* apud Sirlet. *fol.* 434. ibi: „ Sicut ergo Judæis non debet eſſe licentia in ſynagogis ſuis, ultra quam permiſſum eſt lege, præſumere; ita in his, quæ ſunt illis conceſſa, nullum debent præjudicium ſuſtinere. Nos ergo licet in ſua magis velint duritia perdurare, quam vaticinia Prophetarum, & legis arcana cognoſcere, atque ad Chriſtianæ fidei notitiam pervenire, quia tamen noſtræ poſtulant defenſionis auxilium, & Chriſtianæ pietatis manſuetudinem, prædeceſſorum noſtrorum felicis memoriæ Calixti, Eugenii, Alexandri, Clementis, & Cæleſtini Rom. Pontificum exemplis inhærentes, ipſorum petitionem admittimus, eiſque protectionis noſtræ clypeum indulgemus. Statuimus ergo, ut nullus Chriſtianus invitos, vel nolentes eos ad Baptiſmum per violentiam venire compellat; ſed ſi eorum quilibet ſponte ad Chriſtianos fidei cauſa confugerit, poſtquam voluntas ejus fuerit patefacta, ſine qualibet efficiatur calumnia Chriſtianus, “

b *Synagogæ.* ) De quibus egi ſupra *in c. 3.*

c *Lege.* ) Videlicet *l. fin. C. de Judæis.*

d *Efficiatur.* ) Poſt catecheſim, & inſtructionem in myſteriis fidei. De tempore, & forma catecheſis primis Eccleſiæ ſeculis in Eccleſia uſitatis, plura adduxi *in can.* 4. & aliis Concil. Illiber.

2 e *Pœnalia auferre.* ) Conſonat text. *in c. diſpar*, 23. *q.* 8. *c. infideles*, 14. *q.* 4. Alex. III. poſt Conc. Lat. *p.* 20. *c.* 13. *nullus* 14. *C. hoc tit.* quia rerum, & cæterorum bonorum etiam inter fideles conſiſtentium verum dominium Judæi habent, *c. Judæi*, *al.* 2. *c. multorum*, *hoc tit. c. de decimis*, *c. quanto*, *de uſuris*. Probat Riccius *l.* 2. *de jure perſ. c.* 50. etſi contrarium innuatur *in l. fin.* §. 3. *C. de pagan.* Unde Judæis, aut Gentilibus non poteſt bellum indici a Principibus Chriſtianis eo prætextu, ſcilicet quod Judæi, aut infideles ſunt, niſi provincias retineant Chriſtianorum, quæ aliquando Catholicorum fuerunt. D. Th. 2. 2. *q.* 66. *art.* 8. Vel quando ipſi Chriſtianos offendunt, *d. c. diſpar*, Vel ſi blaſphemiis, opprobriiſque Catholicam Religionem infamare intendant, aut fidei propagationem impediant, ut late docent Cov. *in reg. peccatum*, 2. *par.* §. 10. & *l.* Martha *de juriſdict.* *p.* 1. *c.* 24. Grotius *de jure belli*, *l.* 2. *c.* 20. Gentil. *eod. tr. c.* 9. Solorz. *tom.* 1. *de jure Ind. l.* 2. *c.* 16. & 17. Utrum autem Judæi, vel infideles Principibus Chriſtianis ſubjecti, ab eorum regnis poſſint expelli, ſi baptizari renuant, non levis difficultas eſt, quam late diſputant Borel. *de præſt. Reg. Cathol. c.* 69. *per tot.* Conradus *ad Decr. collect.* 15. *n.* 2. Tiberius Decian. *l.* 5. *tr. crim. c.* 18. Majolus *dier. canicul. tr. de perfid. Judæor.* Riccius *de jure perſ. c.* 51. Solorz. *d. l.* 2. *c.* 18. *n.* 52. Inter quos ea communiter ſententia placuit, videlicet Judæos quiete, & pacifice inter Chriſtianos degentes tolerari debere, ut voluntarie ad fidem perducantur, ex præſenti textu, & aliis proxime citatis. Si vero ipſi Judæi protervia ſua in Chriſtianos aliquid moliti fuerint, aut pravo exemplo, aut ſuperſtitioſis ritibus Chriſtianum populum turbare, aut fœdare intendant; tunc etiam per Principes Catholicos expelluntur, ac bonis ſpoliantur, ſi baptizari renuant, ut integris tractatibus probant P. Jacob. Bleda *in defenſione fidei pro expulſione Maurorum*, *tr.* 2. *c.* 1. §. 2. & *in hiſt. Maurorum l.* 1. *c.* 12. Gibal. *in lib. contra Judæos*, & ita expulſos eos fuiſſe per Siſebutum Gothorum Regem, retulimus *in c. majores*, *de Bapt.* & tandem expulſionem factam per Catholicos Reges Ferdinandum, & Elizabeth, promulgatam *in l.* 2. 3. & 4. *tit.* 2. *l.* 8. *Recop.* commendant, & debitis extollunt laudibus Navarrete *in diſcurſ. polit. c.* 7. Simancas *de Catholicis*, *tit.* 35. *n.* 5. Illeſcas *in hiſt. Pontif.* 2. *p. l.* 6. *c.* 20. §. 1. Valdes *de dignit. Reg. Hiſp. c.* 19. *n.* 64. Mádera *in Monarch. Hiſp. c.* 6. F. Joy a Ponte *in convent. utriuſque Monarch. l.* 2. *c.* 8. Aldrete *in antiq. Hiſp. l.* 3. *c.* 18. Borel. Majolus, & Solorzanus ſupra laudati. Imo nullum Judæum, ſeu infidelem in ſuis Regnis permiſſuros Reges Gothorum in ipſis Regni auſpiciis juramento promittebant juxta can. 3. Conc. Tolet. 6. ubi ita contum legitur: Inſpiramine ſummi Dei Excellentiſſimus, & Chriſtianiſſimus Princeps ardore fidei inflammatus, cum regni ſui Sacerdotibus prævaricationes, & ſuperſtitiones Judæorum eradicare voluit, nec ſinit degere in regno ſuo eum, qui non ſit Catholicus; & ut quiſquis ſuccedentium temporum regni fortitus fuerit apicem, non antea aſcendat regiam ſedem, quam inter reliqua conditionum Sacramenta pollicitus fuerit, nullum non Catholicum in regno ſuo permiſſurum. “ Proſequuntur Solorzanus *ubi ſup.* Fragoſo *de Regim. Chriſt. Reip. par.* 1. *l.* 1. *diſp.* 2. §. 7.

f *Celebratione.* ) Juxta tradita ſupra *in c. quia*, *hoc tit.*

3 g *Pecuniæ in ipſis ſepulchris depoſitæ.* ) Nam moris fuit apud Judæos, pecuniam, magnamque auri quantitatem, & theſauros in ſepulchris ipſis cum defunctis condere, ob quam præcipue cauſam Chaldæi oſſa Regum Juda, & Principum, necnon ſacerdotum, cæterorumque urbis Hieroſolymitanæ civium e ſepulchris effoderunt, ut longe antea Hieremias prænuntiaverat *c.* 8. & jam adimpletum Baruc. flevit *c.* 2. ad eruendos nimirum aviditate maxima, diripiendoſque theſauros, quos in antiquorum ſepulchris munifica recondi manu conſuetos experti erant, ut *in d. c.* 8. Hieremiæ exponit D. Hieron. & de ſepulchris David refert Joſephus *l.* 1. *antiq. c. ult.* quod cum Hircanus Pontifex ab Antiocho acriter oppugnaretur, opportuno uſus conſilio, ut eum ab urbis obſidione averteret, & neceſſitati proſpiceret, reſerato ipſius Davidis monumento, tria talentorum millia inde detulit, quorum partem Antiocho perſolvit, ut ſcribunt Pineda *l.* 4. *de rebus Salom. c.* 1. *in fin.* Villalpando *tom.* 2. *in Ezechiel. diſp.* 14. *c.* 61. Alter Pineda *in ſua Monarchia*, *p.* 2. *l.* 10. *c.* 10. §. 3. de ſepulchro Reginæ Semiramidis ſpoliato a Dario agit Cælius Rhodig. *in l.* 23. *antiquar. lection. cap.* 5. Etiam tam apud Græcos, quam apud Romanos moris fuit, ut pecuniæ, ac multæ divitiæ inferrentur in ſepulchra cum mortuis, ut conſtat *ex l. ſervo* 113. §. *ult. ff. de legat.* 1. *l. fin.* §. *fin. ff. de auro & argento*: notarunt Lipſius *ad Tacitum*, *l.* 3. *annal.* 102. Marq. *l.* 2. *ſui Gubernatoris*, *c. ult. p.* 389. Gothofr. *ad leg.* 12. *Tabul. de jure ſacro*, *tit. de religioſis*, Ant. Clarus Silvius *l. ſingul. ad leg. regias*, *c.* 83. *pag.* 521. Joannes Kirmanus *de funer. l.* 1. *c.* 10. & *l.* 3. *c.* 14. Gutherus *l.* 7. *de jure manium*, *c.* 32. Lælius Geraldus *l. de var. ſepul. rit. ſub medium*, Buleng. *l.* 3. *de Imperat. c.* 6. alii relati a Solorzano *tom.* 1. *l.* 3. *de jure Indiar. c. unic. n.* 49. Hinc Petrus Diaconus *in tr.* quem *de litterarum Romanorum notis* inſcripſit, has in ſepulchris antiquis inſcribi ſolitas refert, I. M. I. ST. B. ABSC. ideſt, in monumento illo ſunt bona abſcondita, & iſtas, IN. HC. MM. S. P. SN. FN. ideſt, in hoc monumento ſunt pecuniæ ſine fine, & etiam ea, INTS. S. B. E. intus ſunt bona ejus: IN. HC. MM. S. P. S. in hoc monumento ſunt pecuniæ ſacræ, etſi de earum notarum verſione dubitet Forner. *l.* 3. *rer. quot. c.* 3. quod variis rationibus uſitatum fuit. Prima ob ſuperſtitionem veterum, qui putantes mortuos ad æternam vitam degendam multis indigere divitiis, illas in ſepulchra inferebant, de qua ſuperſtitione ultra proxime relatos multa congerunt Cerda *ad Virgil. l.* 1. *Æneid. verſu* 363. Forner. *ad Caſſiod. l.* 6. *epiſt.* 8. Solorzan. *d. c. unic. n.* 38. & *in polit. l.* 6. *c.* 5. *pag.* 913. ubi notat apud Indos Peruanos eodem nomine deſignari ſepulchrum, & theſaurum, hoc videlicet, *guaca*, quia vix erant ſepulchra Indorum, in quibus non invenirentur theſauri. Aliam rationem forſan minus frequentem adduxit Leo Imperator *in Novel.* 53. juxta editionem Gothofredi, nempe quoſdam adeo avaros eſſe, & hominum poſterorum oſores, ut illis divitias invidentes, quas ſecum ferre non poſſunt, ſubtrahant illas oculis, & uſibus humanis. Tertio hoc faciebant tum ut ſepultura honorificentior eſſet, tum ut religio majorem ſervaret, ut referunt Strabo *l.* 15. Quint. Curtius *l.* 10. Plautus *in Pſeudolo*, *act.* 1. *ſcena* 4.

> *Ex hoc ſepulchro veteri viginti minas*
> *Effodiam ego hodie, quas dem Herili filio.*

Poſtea mandato Principum, ſeu lege decemvirali, ut probat Ramirez de Prado *in reſtitu legum*, *ect.* 4. §. *fin. ad leg. Jul. peculat.* prohibitum eſt cum defunctis ſepelire pecuniam, *d. l.* 4. §. *fin.* imo nec veſtes pretioſas, nec alia ornamenta cum corpore condere licuit, quod ſimpliciores homines factitaſſe dicitur *in l. ſed ſi quis* 14. §. *non autem*, *ff. de relig. l. ſervus* 113. §. 1. *ff. de legat.* 1. *l. fin.* §. *mulier*, *ff. de aur. & arg.* Sed quia adhuc neglecta ea prohibitione pecunia plerumque reponebatur in ſepulchris, prohibet Clem. III. in præſenti, ejus occaſione ſepulchra reſerare, Judæorumque cineres effodere. Quare Caſſidor. *l.* 4. *var. ep.* 18. merito damnat Laurentii cujuſdam presbyteri ſcelus, quod effoſſis cineribus funeſtas divitias inter hominum cadavera perſcrutatus eſſet. Et apud Quint. *declam.* 369. ſepulchri violati reus ita excipit, *Sed quid ſuſtuli? Aliquis inopem aſt lucro fortunas in monumentis abſtruſas impune perſcrutari.* Peſſimi fures illi appellantur a Sidonio, & in eos extat edictum apud Caſſiod. *l.* 4. *var. c.* 34. atrocitatemque hujus criminis exagitant Peluſiota *l.* 2. *ep.* 146. D. Chryſoſt. *hom.* 38. *in* 1. *ad Corin.* Nyſſenus *in ep. can.* 7. Proſequuntur alii Ant. Boſius *Rom. Subterr. l.* 1. *c.* 17. Cockier *in ſacra hiſt. tom.* 2. *c.* 27. Theophilus *c.* 15. *in heteroct. pueril.* 9. *ſect.* 1. Spondan. *de cœmet. p.* 1. *l.* 1. *c.* 9. Savar. *ad Sidon. l.* 3. *ep.* 12. Iraſſo *de prædiis. fol.* 26.

Unde exponendus venit textus *in l.* 4. §. *non fit locus*, *ff. ad leg. Jul. peculat.* quem breviter exponam, quia variis difficultatibus ſolet obrui. Verba priora textus ſunt: *Non fit locus religioſus, ubi theſaurus invenitur.* Quærunt DD. quæ poſſit eſſe ratio dubitandi hujus deciſionis, quæ omni prorſus dubio videtur carere. Et omiſſis variis DD. ſubtilitatibus, credo rationem dubitandi ex eo deſcendere, quod divitiæ in terra abſconditæ ſolebant Cereri, Plutoni, & aliis infernorum falſis numinibus conſecrari, ut breviter notavit Ant. Clarus Silvius *ad leges regias cap.* 23. *pag.* 123. & probatur hic mos ex quadam veteri inſcriptione, quam refert D. Joſeph. de Retes *l.* 8. *opuſc. c.* 27. ibi: *Plutonis ſacratas ſunt ac attingere* 4 Exponitur l. 4. §. non fit ad leg. Jul. Peculat.

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.B.L.



*gite ſonet.* Et ex quodam veteri Anonymo Poeta relato a Kirmanno *d. l.* 3. *c.* 24. ad hæc verba:

> *Res ex ſacra miſſus, noli mea tangere ſacra,*
> *Sacrilega juſſis abſtinere manus.*

Teſtatur etiam Livius *l.* 2. *c.* 31. ex partitione Jani Gruteri, Patrem Spurii Caſſii, ob affectatam tyrannidem a filio, eum cauſa domi cognita verberaſſe, ac necaſſe, peculiumque filii Cereri conſecraviſſe, ſignum inde factum eſſe, & inſcriptum, *Ex Caſſia familia datum.* Cum vero divitiæ ſub terra conditæ ſolerent commendari, & conſecrari falſis numinibus inferorum, & quod ſacrum eſt, religioſum etiam appelletur, ut teſtatur Ælius Gallus vetus JC. apud Feſtum *verbo Religioſus*: potuit in dubium venire, utrum locus, in quo conditus eſt theſaurus, religioſus ſit propter contractum theſauri, qui forſan ſacratus potuit eſſe Cereri, Diti, Plutoni, Proſerpinæ, aut aliis numinibus infernalibus, ut Gentiles falſo ſentiebant. Nihilominus Marcianus negat, fieri locum religioſum ubi theſaurus invenitur, quamvis inventor ibi vota ſolverit pro invento theſauro. Quod facere conſueviſſe inventores, probat vetus inſcriptio apud Galbanum *de uſufr. c.* 30. *num.* 4. *in fin.* quæ talis eſt: *Jovi inventori, Diti patri, Terræ matri, Aurelii Daria theſauris, Caſar Nerva Trajanus Auguſtus ſacrum poſuit.* Ratio decidendi potuit eſſe, quia non ſemper theſauri conſecrabantur numinibus, & quamvis conſecrati fuiſſent, ſacra non ſiebant, quia privata conſecratio non efficit rem ſacram, ſed publica rite, & per Pontifices fit, *l. in tantum* 6. §. *ſacra*, *l. ſacra* 9. *in princ. cum* §§. *ſeq. ff. de rerum diviſione*: notarunt Donel. & Oluzld. *l.* 4. *c.* 1. Cum ergo conſecratio theſauri fieret a privato abſcondente, conſequens eſt, quod nec theſaurus, nec locus maneret conſecrati. Confirmat prædictam deciſionem Marcianus *in d.* §. 6. per ampliationem his verbis: *Nam etſi in monumento inventus fuerit theſaurus, non quaſi religioſus tollitur.* In primis applicanda eſt deciſio tituli, ſub quo jacet: titulus eſt de peculatu, cujus lege puniuntur, qui pecuniam publicam, ſacram, religioſamve auferunt, aut intercipiunt, *l.* 1. *in princ. ff. eod.* Ant. Matthæus *ad eund. titul.* Quæſtio itaque eſt, an in hoc crimen incidat, qui de ſepulchro, ideſt de loco religioſo, tollit pecuniam? Negat Marcianus, quia theſaurus de ſepulchro ſublatus non tollitur tanquam religioſus, ſed tanquam privatus, profanuſque: igitur ſi furtum eſt, non erit ſaltem furtum rei religioſæ, ſive peculatus. Argumentum vero concludit a fortioribus terminis, ita, Theſaurus in loco vere religioſo repertus non eſt religioſus, ergo multo minus efficiet locum purum religioſum theſaurus ipſe, cui nulla religio ineſt: poteſt etiam quæri ad hanc poſtremam partem ratio dubitandi, quæ a noſtris jam excogitata eſt, & adducta ex *l. quæ religioſis* 43. *ff. de rei vindic.* ubi docetur, religioſa eſſe quæ adhærent religioſis: ſed theſaurus adhæret ſepulchro: ergo religioſus eſt. Decidendi vero ratio eſt prompta, illa enim cenſentur adhærere ſepulchro, quæ neceſſario illi adjacent, & ſeparari ab eo non poſſunt ſine detrimento integritatis, aut religionis, *l.* 2. *de ſepulchro violat.* quam partem egregie illuſtravit Suar. *ad legem Aquil. l.* 2. *c.* 2. *ſect.* 6. & 9. theſaurus vero in ſepulchro eſt per accidens, nec pertinet ad integritatem, aut religionem: igitur non poteſt dici adhærere loco religioſo. Ita exponunt Ant. Clarus & Silvius *ad leges regias* 4. *cap.* 23. Galbanus *de uſufr. c.* 30. *n.* 4. *in fin.* Præbuit etiam rationem Marcianus his verbis: *Quod enim quis ſepelire prohibetur, id religioſum facere non poteſt, ut mandatis Principum cavetur.* Senſus eſt, contra interdicta juris publici, expreſſe vetantia aliquid dedicari, nihil poteſt fieri ſacrum, religioſumve, ut pro expoſitione legis ultimæ, *ff. de religioſis*, notavi *in c. fin. ut lite pendente*: ſed reſcripta Principum expreſſe interdicunt condi cum mortuis pecuniam tanquam rem ineptam, & ſuperſtitioſam, ergo contra interdictionem ſepulta non poteſt fieri religioſa, quia non ſpectat ad religionem.

## COMMENTARIUM.

5 Deciſio traditur, & probatur.

Ex hoc textu ſequens communiter deducitur aſſertio: *Judæi inviti, & renuentes cogendi non ſunt Baptiſmum accipere.* Probant eam text. *in c. ad ſidem* 25. *c. de Judæis*, 45. *diſt. c.* 3. juncta integra, *hoc tit.* Conc. Tolet. 6. *can.* 3. Tol. 8. & Tol. 12. *can.* 9. Alex. III. poſt Conc. Lat. *p.* 40. *c.* 1. ibi: „ Statuimus ergo, ut nullus Chriſtianus invitos, vel nolentes Judæos, eos ad Baptiſmum venire compellat. *Conc. Carthag. can.* 109. Hoc tempore lex data eſt, ut libera voluntate unuſquiſque Chriſtianitatis argumentum ſuſcipiat. “ S. Greg. Nazianz. *oratione* 8. apud Baronium *anno* 591. *n.* 34. D. Ambroſius *ſerm.* 13. *in pſalmum* 118. D. Th. 2. 2. *q.* 100. *art.* 8. Illuſtrant ultra congeſtos a Barb. in præſenti, Suar. *de fide*, *diſp.* 18. *ſect.* 3. Creſpetius *in ſumma juris Pont. verbo Judæi cogere*, Ant. Aug. *in epit. juris*, *l.* 12. *tit.* 2. & *l.* 22. *tit.* 28. Acuna *in cap. qui ſincera*, 45. *diſt.* Pet. Greg. *l.* 2. *ſyntag. c.* 4. *n.* 15. & *l.* 1. *partit. tit.* 5. *c.* 7. Mend. *l.* 3. *Conc. Illib. c.* 67. Cabrerus *l.* 2. *de moribus*, *c.* 17. *n.* 50. Narb. *de ætate ad actus humanos*, *an.* 7. *q.* 10. Majolus *dier. canicul. in colloquio de perfid. Judæor. fol.* 647. Balduinus *de edictis pro Chriſtianis*, *in fin.* Fragoſo *p.* 1. *de regim. Chriſt. Reip. l.* 1. *diſp.* 3. §. 5. Barboſa *ad Conc. Trid. ſeſſ.* 5. *n.* 3. Grotius *de jure belli*, *l.* 2. *c.* 20. Becanus *in* 2. 2. *de fide c.* 12. Suar. *de fide diſp.* 18. *ſect.* 1. *cum ſeq.* Cabrerus *de moribus*, *l.* 2. *c.* 17. *n.* 50. Hallier *in ſacris electionibus ſect.* 5. *q.* 1. §. 10. Ambianus *ad Tert. ad Scap. c.* 2. Solorzan. *tom.* 1. *de jure Indiar. l.* 2. *c.* 17. & 18. Gentil. *de jure belli*, *l.* 1. *c.* 9. Riccius *l.* 3. *de jure perſ. c.* 31. & 32. Gramm. *l.* 3. *de ſanct. innovat. c.* 13. *n.* 33. Juſtus Lipſius *l.* 4. *polit. cap.* 4. Valdes *de dign. Regis Cathol. c.* 15. *n.* 3. Valenzuela *contra Venetos p.* 4. *n.* 281. Scotti *in ſelect. theor. num.* 352. *edit.* 136. Caſtrop. *tom.* 1. *oper. moral. tr.* 4. *diſp.* 2. *puncto* 6. Th. Delbene *p.* 2. *de off. Inquiſ. dub.* 230. *ſect.* 8.

6 Traditur ratio dubitandi.

Sed pro dubitandi ratione in præſentem aſſertionem ita inſurgo: Omnes homines, tam Judæi, quam Gentiles, vi legis divinæ obligantur ad fidem, & Baptiſmum, ut probant Suar. & Becanus *ubi ſup.* Ergo Principes, tam eccleſiaſtici, quam ſæculares, qui cuſtodes ſunt & ultores legis divinæ, cogere poſſunt Judæos & infideles ſibi ſubditos, ad ſuſcipiendum Baptiſmum, quod docuit Chriſtus Dominus exemplo, & parabola: exemplo, dum per tenebras compulit Saulum ad fidem profitendam, ut refert *Act. Apoſt. c.* 9. *verſ.* 4. parabola, dum apud Lucam *c.* 14. *verſ.* 23. Paterfamilias præcepit ſervo ſuo, ut exiret in vias, & ſepes civitatis, ut compelleret intrare ad cœnam quoſcumque inveniſſet. Ergo omnes Judæi, & infideles compellendi ſunt intrare in Eccleſia per fidem, & Baptiſmum. Accedit, nam ſuſceptio fidei per Baptiſmum non cedit in præjudicium Judæorum, ſeu infidelium, ſed in eorum commodum: ergo nulla fit eis injuria, ſi ad Baptiſmum compellantur. Augetur primo hæc dubitandi ratio ex eo, quod Judæi fidem ſuſcipientes coguntur eam ſervare, & retinere, *novel.* 55. *Leonis*, etiamſi per vim, & neceſſitatem eam ſuſceperint, Concil. Tolet. 4. relatum *in c. de Judæis*, 45. *diſt.* ibi: *Oportet, ut fidem, quam etiam vi, & neceſſitate ſuſceperunt, tenere cogantur.* Ergo & cogi poſſunt illam ſuſcipere. Augetur ſecundo hæc dubitandi ratio exemplo clariſſimorum Principum, qui Judæos coegerunt Baptiſmum ſuſcipere; nam Siſebutus Rex Gothorum *in l.* 3. *tit.* 3. *l.* 12. *legum Wiſigoth.* ſanxit ut omnes Judæi in Hiſpania commorantes baptizarentur, aliaſquiſquis tranſgreſſor repertus fuiſſet, turpiter decalvatus centum flagella ſuſciperet, & bonis ejus fiſco applicatis in exilium mitteretur. Unde quamplures ex eis baptizatos fuiſſe referunt Lucas Tudenſis *in chron. mundi*, Rodericus Tolet. *l.* 2. *c.* 9. Alfonſ. Carthag. *in Reg. Hiſpan. anaceph. c.* 31. Joan. Baſſeus *in chron. anno Chriſti* 616. Sababe. lea *in chron. Goth. c.* 18. Et cum eorum aliquot millia in Galliam effugerent, turpe viſum fuit Dagoberto Galliarum Regi a Gothis ejectos religionis noſtræ hoſtes indemnes finibus ſuis receptos retinere, ac Wiſigothis religione cedere: quare ipſe diem præſcripſit, intra quam quiſquis mortalium religionem noſtram non profiteretur, hoſtis judicaretur, comprehenſuſque capite lueret. Referunt Paulus Æmil. *de rebus Francor. in Dagobert.* Aymonius *l.* 4. *hiſt. Francor. c.* 22. Baron. *an.* 614. *n.* 41. Et *in l. qui ſub ſanctum*, §. *qui vero*, *Cod. de Paganis*, jubentur confiſcari bona Paganorum nolentium baptizari: & *in leg. Cœlicolarum*, *C. de Judæis*, coguntur Cœlicolæ eiſdem pœnis, ac Hæretici fidem recipere. Ergo quia Judæi cogi poſſunt Baptiſmum ſuſcipere.

7 Traditur decidendi ratio.

Qua dubitandi ratione non obſtante, vera eſt præſens aſſertio, quæ magna nititur ratione; nam credere eſt munus animæ, cui nulla vis inferri poteſt, ut docuit D. Auguſt. *in l. de unit. eccleſiarum*, & *tr.* 26. *in Joannem*, dum ait: „ Cætera poſſe hominem, etiam nolentem; credere non niſi volentem. *Tacuit Quintus Curtius l.* 8. *ibi.* Nemo Rex perinde animis poteſt imperare, ac linguis. *Lact. Firmianus l.* 5. *divin. inſt. c.* 14. *ibi*: Quis enim imponat mihi neceſſitatem, vel credendi quod nolim, vel quod velim non credendi? nihil tam voluntarium, quam religio eſt, in qua ſi animus averſus eſt, jam ſublata, jam nulla eſt. “ Quod præcipue in fide Catholica procedit, quæ ſuapte natura, eo quod ſupernaturalis exiſtit, non eſt hominibus in hoc ſæculo demonſtrabilis, ut poſſit intellectus ad ipſam amplectendam convinci, juxta illud Eccleſiaſtici *c.* 3. *Altiora te ne quæſieris*; ideſt ratione naturali ne fidei myſteria perſcruteris: atque inde conſequitur, non niſi per ſpontaneum voluntatis obſequium divinitus per gratiam acquiſibilem eſſe, juxta D. Paulum 2. *ad Cor. c.* 10. in captivitatem redigentes omnem intellectum, in obſequium fidei. Quod agnoſcentes plures Eccleſiæ PP. docuerunt, religionem imperandam non eſſe. D. Bernard. *ſerm.* 66. *in Cantica*: *Fides ſuadenda eſt, non imperanda.* D. Athan. *in epiſt. ad ſolitariam vitam agentes*: *Piæ religionis proprium eſt non cogere, ſed ſuadere.* D. Ambroſ. *in epiſt.* 2. *ad Cor. c.* 1. ubi exponens illa verba: *Non quia dominamur fidei veſtræ*, ait: *Quoniam fides non neceſſitatis, ſed voluntatis res eſt.* Ideo dicitur, non quia dominamur fidei veſtræ; dominatus enim neceſſitatis cauſa eſt. D. Hier. *tr. de* 7. *ord. in* 6. *gradu*, *ſub finem.* D. Auguſt. *epiſt.* 48. 50. 127. 129. 158. 159. 160. Optat. Milevit. *l.* 2. *l.* 4. *l.* 5. & 7. D. Greg. *lib.* 1. *Epiſt.* 45. „ Adhibendus eſt ſermo Judæis convertendis, qui errorum in ipſis ſpinas urere debet, & prædicando, quod in his tenebreſcit, illuminet. *Tertul. ad Scapul. cap.* 2. Sed nec religionis eſt cogere religionem, quæ ſponte ſuſcipi debeat, non vi. *Theodoric. apud Caſſiod. l.* 2. *var. epiſt.* 27. Religionem imperare non poſſumus, quia nemo cogitur, ut credat invitus. *Ibi l.* 10. *epiſt.* 26. Nam cum divinitas patiatur multas religiones eſſe, nos unam non audemus imponere, retinemus enim legiſſe, voluntarie ſacrificandum eſſe Domino, non cujuſquam cogentis imperio. “ Accedit, nam quomodo placere poteſt Deo Judæi coacta converſio, cum ipſe homines omnes in ſuo arbitrio reliqui voluerit, ut ita homo, qui ex ſuo libero arbitrio perit, etiam ex libero arbitrio convertatur, ut docent *in dict. cap. de Judæis*, *cap. gratia*, *cap. ad ſidem*, 45. *diſtinct.* Quod etiam &

in amicis petunt Ariſt. *l. 8. Ethicor.* D. Iſid. *lib. 2. de ſummo bono, c. 2.* ut nemo invitus amicus fiat. Facit etiam, nam apud Gentiles victima, quæ aliquo modo ſe invitam ad aram, & cultrum trahi ſignificabat, ut ſi altaria profugiſſet, aut
3 animis eſſet reluctata, aut percuſſa mugitus ediſſet, a Romanorum & aliarum gentium ſacrificiis rejiciebatur, quia putabatur ingrata eſſe Deo, ut tradit Macrob. *l. 3. Saturn. c. 5.* Plin. *l. 8. c. 45.* Plato *lib. 8. ſympoſ. c. 8.* Tiraq. *in notis ad Alex. lib. 3. gen. c. 16.* Briſſon. *l. 1. de formul. pag. 17.* juxta illud Virg. *l. 3. Georg.*

*Et ductus cornu ſtabit ſacer hircus ad aram.*

Unde tentabatur voluntas victimarum ante immolationem, juxta illud Virgilii *lib. 2. Æneid.*

*Sunt fruges veniunt ſalſæ, & tempora ſerto*
*Summa tegunt ſacerdote.*

Imo tantum ſtudium fuit in obſervandis victimis, ut niſi annuerent ſacrificiis, non offerrentur, ut notavit Rabbi Textorius *l. 1. officina, c. 2.* & late illuſtravit Pater Pinto *in ſpic. p. 3. c. 47. n. 5.* Recte ergo in præſenti Clemens III. juxta prædeceſſorum ſuorum ſententiam decrevit Judæos cogendos non eſſe fidem Catholicam profiteri, Baptiſmumque ſuſcipere: idemque dicendum eſt circa filios Judæorum, ſeu infidelium, qui non poſſunt abduci a parentibus, & illis invitis baptizari, etiamſi pareant Principibus Catholicis, ut late probant Solorz. *d. l. 2. de jure Ind. c. 17.* Narbona, *de ætate an. 7. q. 10.* Ricciulus *d. l. 2. de jure perſon. c. 31. per tot.* Pragoſo *de regim. Chriſt. Reip. p. 1. diſp. 2. §. 7.* Diana *p. 8. tr. 1. reſ. 1.* Pradu *de Sacramentis, tom. 1. qu. 64. dub. 7.* videndus Baron. *an. 159. n. 8. & 9.* qui recte contrarium reſolvunt circa filios hæreticorum, & apoſtatarum a fide; nam cum Eccleſia poſſit eos cogere religionem Catholicam retinere, & obſervare, poterit & illis invitis eorum filios baptizare.

8 *Diſſolvitur dubitandi ratio.* Nec obſtat dubitandi ratio ſupra adducta, cui reſpondendum eſt negando conſequentiam: nam Prælati Eccleſiaſtici non poſſunt cogere Judæos, Infideleſve fidem Catholicam profiteri, cum in eos juriſdictionem non habeant, ut ait D. Th. *d. q. 10. art. 4.* colligitur ex illo Pauli 1. *ad Cor. c. 12. Quid enim mihi de his qui foris ſunt, judicare?* Nec etiam poſſunt Principes ſæculares, etſi temporalem juriſdictionem in eos exerceant; quia poteſtas, & juriſdictio illorum Principum ordinatur tantum ad finem naturalem, nec extenditur ad finem ſupernaturalem, ſeu ad ea, quæ ſunt ordinis ſupernaturalis; at ſuſceptio fidei per Baptiſmum non pertinet ad finem naturalem, ſed ſupernaturalem. Ergo poteſtas, & juriſdictio Principum ſæcularium ad ea non ſpectant. Nec obſtat quod ex facto Chriſti cum Saulo, & parabola ſupra relata expendebamus; nam reſpondeo dupliciter. Primo quod licet Paulus ab initio eſſet renuens, dum perſequebatur Eccleſiam, tamen ſatis expreſſit propriam voluntatem, dum dixit: *Domine, quid me vis facere?* Unde non poteſt dici, invitum fidem ſuſcepiſſe, ut docent Ricciulus *d. l. 2. c. 31. n. 28.* Turriſcr. *in d. c. Judæi, 45. diſt.* Per parabolam etiam relatam a D. Luca, eorum qui ad cœnam intrare compelluntur, non ſignificantur Judæi, de quibus hic agitur, ſed potius hæretici, & ſchiſmatici qui ratione Baptiſmi pertinent ad juriſdictionem Eccleſiæ, & compelli poſſunt, ut redeant ad unitatem corporis Chriſti, ut exponit locum illum D. Aug. *ep. 50. ad Bonifacium.* Et ſi adhuc accipiamus parabolam illam de infidelibus, vel Judæis, tunc *compelle* non accipitur pro violenta compulſione, ſed pro vehementia amoris Chriſti, quo cupit omnes ad fidem converti, in Eccleſiæque gremium ingredi, ut docuit D. Th. *q. 22. de veritate, art. 9. ad 1.* Nec etiam obſtat, quod Baptiſmus non cedit in præjudicium infidelium; nam reſpondeo, quod licet ſpontanea fidei profeſſio non cedat in præjudicium eam ſuſcipientis, cogi tamen, & compelli ad ſuſceptionem Baptiſmi, in magnum gravamen illius, qui cogitur, cedit; & quidem gravamen contra juſtitiam, cum cogatur ab eo, qui talem poteſtatem compellendi non habet: quod facile explicatur exemplo voti, nam votum caſtitatis ſponte emiſſum non cadit in præjudicium vuventis; cogi autem ad vovendam caſtitatem ab eo, qui poteſtatem non habet, eſt injurioſum ei, qui cogitur. Nec etiam obſtat, quod qui fidem ſemel ſuſceperunt, etiam per vim coguntur eam retinere, nam aliud eſt cogi ad ſuſcipiendam novam fidem, aliud ad retinendam eam, quam ſemel ſuſcepit; illi enim cogi non poſſunt ad Baptiſmum; iſti vero cogi debent omnino, ne fides ſemel ſuſcepta apud eos vileſcat, & contemptibilis videatur, *c. quidam, de apoſtatis, c. contra Chriſtianos, de hæret. l. 6. c. plerique, de conſecr. diſt. 3.* late diximus *in c. ad abolendam, de hæret.* Nec tandem obſtat Siſebuti Regis factum, quod improbarunt PP. Conc. Tolet. *can. 56.* relati, *in c. de Judæis, 45. diſt.* & D. Iſidor. *in chron. Goth. æra 651.* ubi agens de Siſebuto ait: *Qui in initio regni ſui Judæos ad fidem Chriſtianam movens, æmulationem quidem Dei habuit, ſed non ſecundum ſcientiam, poteſtate enim compulit, quos provocare fidei ratione oportuit.* Appellatur tamen glorioſus idem Princeps a Patribus in dicto canone, non propter factum, ſed propter zelum: dixi *in c. majores, de Baptiſmo.*

Sed ſupra traditæ aſſertioni obſtat textus *in c. jam vero, 23. q. 8.* ubi expreſſe D. Greg. jubet Januario Caralitano Epiſcopo, ut per tributorum impoſitionem ruſticum cogat ad fidem catholicam ſuſcipiendam: igitur quia Judæi inviti ad Baptiſmum cogi poſſunt. In qua difficultate communiter Gloſſa, Archidiaconus, & Præpoſitus, quos ſequitur Ricciulus *l. 1. de jure perſonar. c. 41. n. 13.* accipiunt Gregorium de ruſtico jam baptizato in hæreſim lapſo, qui cum pertinax eſſet, jubet Gregor. ut cogatur fidem retinere. Sed hæc ſolutio aperte convincitur ex ipſa epiſtola D. Gregorii, ex qua deſumptus eſt textus *in d. cap. jam vero,* quæ reperitur *l. 4. epiſt. 26.* ibi: „ Accidit autem aliud valde lugendum, quia ipſos ruſticos, quos habet Eccleſia tua, nunc uſque in infidelitate remanere negligentia fraternitatis veſtræ permiſit. Et quid vos admoneo, ut extraneos ad Deum adducatis, qui veſtros ab infidelitate corrigere negligitis? Unde neceſſe eſt, vos per omnia in eorum converſione vigilare. Nam ſi cujuſlibet Epiſcopi in Sardinia inſula paganum ruſticum invenire potuero, in eumdem Epiſcopum fortiter vindicabo. “ Et ſtatim ſequitur textus *in d. c. jam vero.* Ex quibus verbis expreſſe conſtat, agere D. Greg. de ruſtico pagano, qui nondum fuerat baptizatus. Quare ea ſolutione omiſſa, dicendum eſt, quod etſi infideles non poſſint cogi vi præciſa ad ſuſcipiendum Baptiſmum, poſſunt tamen blanditiis, ſuaſionibus, & præmiis invitari, & cogi ad Baptiſmum. Unde idem D. Greg. *lib. 4. epiſt. 6.* ſcripſit, ut Judæis baptizatis aliqua pars tributorum remittatur, ut ipſa ipſi alliciantur ad fidem Catholicam ſuſcipiendam, ibi: „ Pervenit ergo ad me, eſſe Hebræos in poſſeſſionibus noſtris, qui converti ad Deum nullatenus volunt, ſed videtur mihi, ut per omnes poſſeſſiones, in quibus Hebræi ipſi eſſe noſcuntur, epiſtolas tranſmittere debeas, eis ex me ſpecialiter promittens, quod quicumque ad verum Dominum Deum noſtrum Jeſum Chriſtum ex eis converſus fuerit, onus penſionis ejus ex aliqua parte imminuatur. Quod ita quoque fieri volo, ut ſi quis ex eis converſus fuerit, ſi ſolidi penſionem habet, tremiſſis ei relaxari debeat: ſi tres, vel quatuor, unus ſolidus relaxetur, ſi quid amplius, jam juxta eumdem modum debet relaxatio fieri, vel certe juxta quod dilectio tua providet: ut ei & qui convertitur, onus relevetur, & Eccleſiaſtica utilitas non gravi diſpendio prematur. Nec hoc inutiliter facimus, ſi pro levandis penſionum oneribus eos ad Chriſti gratiam perducamus: quia etſi ipſi minus fideliter veniunt; hi tamen, qui de eis nati fuerint, jam fidelius baptizantur. Aut ipſos ergo, aut eorum filios lucramur. Et ideo non eſt grave quidquid de penſione pro Chriſto dimittimus. “ Ideo jubet Greg. *in d. ep. 26.* Epiſcopo Caralitano, ut Judæis omnia tributa imponat, ſervata tamen eorum juſtitia, ut ita ſpe præmii ſaltem alliciantur ad ſuſcipiendum Baptiſmum.

9 *Expenditur cap. Jam vero, 23. q. 8.* (marginal note beside the paragraph beginning "Sed ſupra traditæ")

# C A P U T X.

## *a* Clemens III.

QUam ſit laudabile, &c. *Et infra:* Tuis, frater Epiſcope, petitionibus annuentes, tibi, tuiſque ſociis, cum ad prædicandam Chriſti fidem *b* paganis vos exhibetis, Apoſt. auctoritate concedimus, ut vobis *c* his cibis cum modeſtia & gratiarum actione, ſervata temporum qualitate, juxta canonicas ſanctiones uti liceat, qui vobis ab ipſis infidelibus apponuntur. Inſuper indulgemus, ut quicumque viri, ſeu monachi, ſive clerici, idonei ad nunciandam Gentibus Evangelicam veritatem, requiſita, *d* & habita Prælatorum ſuorum licentia, tibi voluerint adhærere, id abſque contradictione qualibet exequendi liberam habeant Apoſtolica auctoritate facultatem.

### N O T Æ.

1 a IDem.) Clemens videlicet III. ut legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. c. 4.* nullibi tamen exprimitur, cui reſcribat Pontifex, unde non conſtat, de qua Paganorum provincia in præſenti agatur; credo tamen in præſenti agi de provincia Livonienſium, qui his temporibus Clementis III. fidem Catholicam ſuſceperunt, ut retuli *in cap. Deus, de vita, & honeſt. cleric. cap. fin. de divort.*

b *Pagani.*) Pagani qui dicantur, expoſui *in cap. 2. de conſtitut.*

c *His cibis.*) De prohibito convivio cum Paganis, & Judæis, egi *in can. 5. Conc. Illiber.*

d *Requiſita & habita.*) Quia munus prædicandi proprie ad Epiſcopum ſpectat, ut probavi *in c. inter cætera, de offic. ord.* vel ad eos, quos ipſe elegerit; ut diximus *in c. excommunicamus, §. qui vero, de hæret.* & docent Barboſa *de poteſt. Epiſc. allegat. 76.* Solorzanus *tom. 2. jure Indiar. lib. 2. cap. 18. n. 26.* & ex hoc textu deciſam fuiſſe quæſtionem in ſupremo Indiarum Senatu emergentem de Patribus Societatis Jeſu intendentibus tantum prædicare verbum Dei apud Japones, refert idem Solorzanus *lib. 3. cap. 18. n. 18.*

CA-

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.



# C A P U T XI.

## *a* Idem

SIgnificavit nobis tua fraternitas, quomodo aliqui civium tuorum in *b* Alexandriam valeant proficiſci pro recuperandis concivibus ſuis, qui illuc in captivitate tenentur: hoc arbitramur poſſe licite fieri, dummodo nihil in mercibus, vel alio modo ſecum illic deferant, unde poſſit Saracenis, excepto redemptionis articulo, aliquod commodum, vel ſubſidium provenire: quod etiam coram te prius juramento firmabunt. Illi quoque, qui poſt treguam in tranſmarinis partibus factam cum commercio Alexandriam adiverunt, ſi detulerant merces prohibitas cauſa *c* lucrandi, excommunicationis vinculum non evadunt: ſimiliter & illi, qui in perſonis propriis non euntes, merces eo per alios deſtinarunt. Ad ultimum illos, qui juraverant ſe amplius in terram Saracenorum cum mercibus non ituros, niſi pax eſſet inter Chriſtianos & ipſos, & poſt *d* treguam factam venerunt illuc, illa conditio de pace, vel de tregua habenda ab excommunicationis vinculo non abſolvit.

### N O T Æ.

1 a IDem.) Clemens III. videlicet, ut exprimitur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. cap. 5.* etſi non conſtet cui Prælato miſſa ſit præſens Decretalis.

b *Alexandriam.*) Alexandria Metropolis eſt non ſolum Ægypti, verum etiam Thebaidis, & Libyæ, quæ Ægypto adjacent, ut dicemus *in cap. antiqua, de privil.* Temporibus Clementis III. occupata erat a Saracenis: & quia bellum in his partibus pro recuperanda Terra ſancta tunc gerebatur, ideo plures captivi in his provinciis a Saracenis habebantur.

c *Lucrandi.*) Quia in hac prohibitione non attenditur animus, ſed effectus, ſi videlicet validior redditur inimicus, *l. 4. Cod. quæ res export. non deb. Mutra, hoc tit.* pluribus relatis docent Hermoſilla *in l. 31. tit. 5. part. 5. n. 3. & 10.* 2

d *Treguam.*) Tregua quid ſit, & quatenus diſtet a pace, expoſui *in cap. 1. de tregua, & pace.*

# C A P U T XII.

## *a* Clemens III.

QUod olim præceptum fuit, &c. *Et infra:* Sane licet hoc fuerit in Lateran. Concilio diſtricte inhibitum, nos tamen de conſilio fratrum noſtrorum omnes illos excommunicationi ſupponimus, qui jam amplius cum Saracenis mercimonium habuerint, vel per ſe, vel per alios, navibus, ſeu quocumque alio ingenio eis aliqua rerum ſubſidia, ſeu conſilia impenderint, quamdiu inter vos, & illos guerra duraverit. Veſtræ igitur diſc. mandamus, atque diſtricte præcipimus, quatenus nec per vos, nec per veſtras naves, nec alio quocumque modo, aut ingenio eis mercimonia, conſilia, ſeu alia ſubſidia tranſmittatis; ne ſi forte aliqui in ſua malitia indurati, ſecus agere præſumpſerint, non ſolum ipſo jure incidant in excommunicationem illam, verum etiam illi iram Dei viventis incurrant.

### N O T Æ.

a IDem.) Clemens videlicet III. ut habetur *in capit. 6. hoc tit. in 2. collect.* & commentarium dedi ſupra *in capite 1.*

# C A P U T XIII.

## Idem *Archiepiſcopo a Senon. & Epiſcopo Pariſienſi.*

ETſi Judæos, quos propria culpa ſubmiſit *b* perpetuæ ſervituti, cum Dominum crucifixerunt, quem ſui Prophetæ ad redemptionem Iſrael prædixerant in carne venturum, pietas chriſtiana receptet, & ſuſtineat cohabitationem illorum, quos etiam propter illorum perfidiam Saraceni, qui fidem Catholicam perſequuntur, nec credunt in Crucifixum, ab illis ſuſtinere non poſſunt, ſed potius a ſuis finibus expulerunt, in nos vehementius proclamantes, eo quod ſuſtineantur a nobis, qui ab ipſo crucis patibulo condemnant redemptorem noſtrum; ingrati tamen nobis eſſe non debent, ut redderent Chriſtianis pro gratia contumeliam, & de familiaritate contemptum: qui tanquam miſericorditer in noſtram familiaritatem admiſſi, nobis illam retributionem impendunt, quam juxta vulgare, Mus in pera, ſerpens in gremio, & ignis in ſinu, ſuis conſueverunt hoſpitibus exhibere. Accepimus autem, quod Judæos, quos gratia Principum in ſuis terris admiſit, fecit adeo inſolentes, ut illos committant exceſſus in contumeliam fidei Chriſtianæ, quos non tantum dicere, ſed etiam nefandum eſt cogitare. Faciunt enim Chriſtianas filiorum *c* nutrices, & cum in diem reſurrectionis Dominicæ illas recipere corpus & ſanguinem Jeſu Chriſti contingit, per triduum antequam eos lactent, lac effundere faciunt in latrinam: alia inſuper contra fidem catholicam deteſtabilia, & inaudita committunt, propter quæ fidelibus eſt verendum, ne divinam indignationem incurrant, cum eos perpetrare patiuntur indigne, quæ fidei noſtræ confuſionem inducunt. Rogamus igitur chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Ph. Regem Francorum illuſtrem, mandavimus etiam nobili viro Duci Burgundiæ, & Comitiſſæ Trecen. ut tales reprimant Judæorum exceſſus, ne cervicem perpetuæ ſervitutis jugo ſubmiſſam præſumant erigere contra reverentiam fidei chriſtianæ, inhibentes diſtrictius, ne de cetero nutrices, vel ſervientes habeant Chriſtianos, ne filii liberæ filiis famulentur ancillæ: ſed tanquam ſervi a Domino reprobati, in cujus mortem nequiter conjurarunt, ſe ſaltem per effectum operis recognoſcant ſervos illorum, quos Chriſti mors liberos, & illos ſervos effecit; quia cum jam cœperint rodere more muris, & pungere ſicut ſerpens, verendum eſt, ne ignis receptus in ſinu, corroſa conſumat. Quo circa f. v. per A. ſ. m. quat. prædictum Regem, & alios ad hoc ex parte noſtra ita diligenter monere, ac efficaciter inducere procuretis, quod Judæi de cetero nullatenus inſoleſcant, ſed ſub timore ſervili prætendant ſemper verecundiam culpæ ſuæ, & revereantur honorem fidei Chriſtianæ. Si vero Judæi nutrices, & ſervientes non dimiſerint Chriſtianos, vos auctoritate noſtra ſuffulti, ſub excommunicationis pœna inhibeatis diſtricte omnibus Chriſtianis ne cum eis commercium aliquod audeant exercere.

### N O T Æ.

1 a SEnonenſ.) Ita etiam legitur *in c. non. hoc tit. in 3. coll.* ex qua textum hunc reſtituo, de Senonenſi diœceſi egi *in cap. 6. de conſtitutionibus.*

2 b *Perpetuæ ſervituti.*) Nam cum grande peccatum admiſiſſent, gravem patiuntur pœnam, & amiſſa priſtina dignitate, ſervi Gentium facti fuerunt. Cur autem Judæi tolerentur inter Chriſtianos, varias rationes adducunt Sancti Patres, præcipue eam, ut teſtes ſint ſuæ iniquitatis, & noſtræ veritatis, ac ut ita alliciantur ad ſuſcipiendam fidem Catholicam, ut expreſſit D. Auguſt. *ad pſalmum 56. ſerm. 77.* ibi: „ Per omnes gentes diſperſi ſunt Judæi teſtes iniquitatis ſuæ, & veritatis noſtræ. Ipſi habent Codices, de quibus prophetatus eſt Chriſtus, & nos tenemus Chriſtum. Et ſi quando forte aliquis paganus dubitaverit, cum ei dixerimus prophetias de Chriſto, de codicibus Judæorum probamus. Librarii denique noſtri facti ſunt, quomodo ſolent ſervi poſt dominos codices ferre. *Et* lib. de vera relig. cap. 6. Eccleſia Catholica utitur gentibus ad materiam operationis ſuæ, hæreticis ad probationem doctrinæ ſuæ, ſchiſmaticis ad documentum ſtabilitatis ſuæ, Judæis ad comparationem pulchritudinis ſuæ. “

c *Nutrices.*) Juxta tradita ſupra *in c. ad hæc.*



CA-

# C A P U T XIV.

a Idem.

POſtulaſti qualiter contra Judæum procedere debeas, qui manus injecit in quemdam clericum violentas. Ad quod breviter reſpondemus, quod ſi dictus Judæus tuæ b juriſdictionis exiſtit, ipſum pœna c pecuniaria punias, vel alia (ſecundum quod convenit) temporali, faciens læſo ſatisfactionem congruam exhiberi, alioquin ejus d dominum moneas, & inducas, ut paſſo injuriam, & Eccleſiæ ab eo ſatisfieri faciat competenter, quod ſi dominus ejus neglexerit adimplere, tu Chriſtianis omnibus per cenſ. eccleſ. interdicas, ne cum ipſo Judæo antequam ſatisfaciat, præſumant e commercia exercere.

NOTÆ.

a IDem.) Inſcriptionem integram hujus textus dedi in c. poſtulaſti, de uſur. ubi extat alia pars hujus textus.

1 b Tuæ juriſdictionis.) Temporalis videlicet, quia forſan Epiſcopus in ea parte temporalem, & ſpiritualem exercebat juriſdictionem.

2 c Pœna pecuniaria.) Quia ſpirituali ipſi Judæi affici non poterant, alias niſi ex gravi cauſa Judices Eccleſiaſtici non debent imponere pœnam pecuniariam, c. licet 3. de pœnis.

3 d Dominum.) Temporalem videlicet: unde probat D. Franc. de Amaya in l. 1. C. de exactor. tributor. lib. 10. n. 41. Judicem Eccleſiaſticum non poſſe laicum reum criminis mixti fori, vel etiam Eccleſiaſtici propria auctoritate incarcerare, non invocato auxilio brachii ſæcularis: quod ſæpius vidi pronunciatum in hac Pinciana Cancellaria. Sed quæſtionem hanc diſputavimus in c. poſtulaſti, de homicidio, ubi extat alia pars hujus Decretalis.

e Commercia.) Eadem pœna Chriſtianis imponitur in cap. etſi Judæos; cap. ad hæc, hoc tit. cap. de Judæis, de decimis: unde infertur, regulariter licitum eſſe cum Judæis contrahere; quod probant Maſcard. de Judæis, p. 1. cap. 5. Heringius de fidejuſſor. cap. 8. n. 116. quod & ad ſocietatem extendunt Tiraquel. de primog. q. 66. nu. 14. Ricciulus lib. 2. de jure perſon. cap. 42. qui recte monet, nihilominus indignum eſſe fieri cauſa Chriſtianum cum Judæo ſocietatem coire.

# C A P U T XV.

Idem in Concilio a Generali.

IN nonnullis provinciis a Chriſtianis Judæos, ſeu Saracenos habitus diſtinguit diverſitas, ſed in quibuſdam ſic quædam inolevit confuſio, ut nulla differentia diſcernantur. Unde contingit interdum, quod per errorem Chriſtiani Judæorum, ſeu Saracenorum, Judæi, vel Saraceni, mulieribus Chriſtianorum b commiſceantur. Ne igitur tam damnatæ commiſtionis exceſſus per velamen erroris hujuſmodi excuſationis poſſit habere diffugium, ſtatuimus ut tales utriuſque ſexus in omni Chriſtianorum provincia, & omni tempore, qualitate c habitus publice ab aliis populis diſtinguantur, cum per Moyſem hoc ipſum eis legatur injunctum. In diebus autem lamentationis, & d Dominicæ paſſionis publice minime procedant, eo quod nonnulli ex ipſis talibus diebus, ſicut accepimus, & ornatius non erubeſcunt incedere, ac Chriſtianis, qui ſacratiſſimæ paſſionis memoriam exhibentes, lamentationis ſigna prætendunt, illudere non formidant, illud tamen diſtrictiſſime inhibemus, ne in contumeliam Redemptoris aliquatenus proſilire præſumant. Et quoniam illius diſſimulare non debemus opprobrium, qui probra noſtra delevit, præcipimus, præſumptores hujuſmodi per Principes ſæculares condignæ animadverſionis adjectione compeſci, ne Crucifixum pro nobis aliquatenus blaſphemare præſumant.

NOTÆ.

1 a GEnerali.) Lateranenſi videlicet ſub Innoc. III. ubi c. 68. reperitur textus hic, & in c. 1. hoc tit. in 4. coll.

b Commiſceantur.) Cujus peccati gravitatem probavi in cap. 78. Concilii Illiber.

2 c Habitus publice.) Quod etiam providis conſtitutionibus ſanxerunt PP. Concilii Ravennat. 2. temporibus Clementis V. „Et ſi Judæi miſericordia, & ad teſtimonium incredulitatis eorum debeant ab Eccleſia, & Fidelibus in ſuis ritibus tolerari; quia tamen ex ipſorum converſatione permixta multa mala & ſcandala proveniſſe noſcuntur, ſtatuimus, & perpetua ſtabilitate firmamus, quod Judæi portent in pannis ſuperioribus certum ſignum, ſcilicet rotam panni crocei coloris, & mulieres eorum in capite, ut ſic a Chriſtianis poſſint diſcerni. Salczburg. tempore Martini V. ubi de fœminis Judæis ita cavetur; Ut mulieres, vel virgines dictæ ſuperſtitionis ſe ſudantes, cum ſe in publicum exhibent Chriſtianorum noſtræ provinciæ, palam ſonantem in aliqua ſui corporis parte deferant.“ Paulus IV. conſtitutione 5. quæ incipit: Cum nimis abſurdum, Pius V. in conſtitutione 7. quæ incipit, Romanus Pontifex: quibus cavetur, ut Judæi maſculi birretum, fœminæ vero aliud ſignum patens, ita ut nullo modo celari poſſit, palam deferre teneantur. Unde conſuetudines antiquas Ferrariæ, & ſimilium civitatum, in quibus promiſcuis veſtibus Judæi, ac Catholici utuntur, improbatas eſſe docuerunt, aliique ipſarum conſtitutionum expoſitione addaces: Ricciulus de jure perſon. lib. 2. c. 43. per totum. Scortia in ſelect. Pontific. conſt. theor. 34. Fragoſo ubi ſupra. Quæ omnia omitto, ut parum utilia, cum in his regnis jam a temporibus Ferdinandi, & Eliſabeth ejecti, & eliminati fuerint.

d Dominicæ Paſſionis.) Juxta tradita ſupra in c. quia 4.

# C A P U T XVI.

Idem a in eodem.

CUm ſit nimis abſurdum, ut Chriſti blaſphemus aliquis in Chriſtianos jura exerceat poteſtatis, quod ſuper hoc b Tolet. Concil. provide ſtatuit, propter tranſgreſſorum audaciam & hoc generali Concilio innovamus, prohibentes ne Judæi publicis officiis præferantur, quoniam ſub tali prætextu Chriſtianis plurimum ſunt infeſti. Si quis autem eis officium tale commiſerit, per c provinciale Concilium, quod ſingulis annis præcipimus celebrari, monitione præmiſſa, diſtrictione qua convenit, compeſcatur; officiali vero hujuſmodi tamdiu Chriſtianorum communio in commerciis, & aliis denegetur, donec uſus pauperum Chriſtianorum ſecundum providentiam d diœceſani Epiſcopi convertatur, quidquid fuerit a Chriſtianis adeptum occaſione officii ſic ſuſcepti; & officium cum pudore dimittat, quod irreverenter aſſumpſit. Hoc idem extendimus ad paganos.

NOTÆ.

a EOdem.) Concil. videlicet Lateran. celebrato ſub Innoc. III. ubi can. 69. reperitur textus hic, & in quarta collectione, ſub hoc tit. cap. 2.

1 b Toletanum.) Tertium videlicet, can. 14. ubi ita Hiſpaniæ PP. ſanxerunt: „Suggerente Concilio id glorioſiſſimus Dominus noſter canonibus inſerendum præcepit, ut Judæis non liceat Chriſtianas habere uxores, vel concubinas, nec mancipia Chriſtiana comparare in uſus proprios; ſed & qui filii ex tali conjugio nati ſunt, aſſumendos eſſe ad Baptiſmum: nec ulla officia publica eos opus eſt agere, per quæ eis occaſio tribuatur pœnam Chriſtianis inferre.“ Etſi a Gratiano in c. nulla, 54. diſt. hæc verba Conc. Tolet. 4. tribuantur.

c Provinciale Concilium.) Juxta tradita ſupra in c. ſicut olim, de accuſat.

2 d Diœceſani Epiſcopi.) Quia cum ipſe qui tale officium contulit Judæo, ſuſpectus eſſet, non ejus auctoritate, ſed interventu Epiſcopi pecunia eſt diſtribuenda, ut pro conciliatione hujus textus cum capite 6. §. vers. de immunitate, docuit Covar. in c. 3. de teſtam. n. 11.

COMMENTARIUM

EX hac conſtitutione Concilii Later. ſequens deducitur aſſertio: „Judæi, ſeu Pagani non debent præfici officiis publicis inter Chriſtianos, aut in eos juriſdictionem exercere.“ Probant eam textus in c. nulla 14. 54. diſt. c. conſtituit 28. 17. q. 4. c. 1. in fine, c. pen. hoc tit. Conc. Arvernenſe can. 8. ibi: „Ne Judæi Chriſtianis populis judices proponantur. Matiſcon. can. 13. Ne Judæi Chriſtianis populis judices deputentur, aut telonarii eſſe permittantur, per quod illis (quod Deus avertat) Chriſtiani videantur eſſe ſubjecti.“ Meldenſe can. 73. Tolet. 12. can. 19. Narbonenſe ſub Ludovico IX. can. 1. Conc. | 3 Concluſio traditur & probatur.



Conc. Regiaticinum vulgo dictum, can. 24. ibi: „Ob cauſationem carere, & religioni Chriſtianæ noxium, & contrarium noſcitur, ut Judæi a Chriſtianis regalia exigant, aut alias civiles, aut criminales cauſas inter Chriſtianos judicandi locum habeant, &c. Valentinum an. 1322. can. 21. ibi: Abſurdam & irrationabilem corruptelam, quæ in Chriſtianæ fidei vergit opprobrium, & jacturam, quæ contra canonicas ſanctiones Judæi & Saraceni Chriſtianis in publicis præficiuntur officiis, ſub quorum prætextu Chriſtianis plurimum ſunt infeſti, extirpare volentes, univerſis Eccleſiarum Prælatis ſub interminatione divini judicii præcipimus, & mandamus; ut Sanctorum Patr. ſtatuta ſuper hoc edita faciant inviolabiliter obſervari. Gregorius VII. lib. 9. regeſtr. epiſt. 2. ad Alfonſum Regem Hiſpaniæ: Judæos Chriſtianis dominari, vel ſupra eos poteſtatem exercere, ulterius nullatenus ſinas; quid enim eſt Judæis Chriſtianos ſupponere, atque hos illorum judicio ſubjicere, niſi Eccleſiam Dei opprimere, & ſatanæ ſynagogam exaltare? & dum inimicis Chriſti velis placere, ipſum Chriſtum contemnere.“ Referunt Creſpetius in ſumma, verbo Judæi officia, Ant. Aug. in epit. lib. 12. tit. 6. cap. unic. hoc tit. in 5. compil. l. jubemus 17. Cod. de Epiſcop. & cleric. auth. l. penult. Cod. de diverſ. offic. appar. judic. l. ſubſeivitatem 19. l. eos 22. l. domus 58. in fine, §. pen. Cod. Theodoſ. de hæret. l. qui profano 24. Cod. de paganis, l. 165. Cod. Theod. de Decur. Novell. Juſtin. 109. & 144. conſtitutio Theodoſii de Judæis, Samaritanis, Hæreticis, & Paganis, ex qua ſumpta eſt lex finalis, Cod. de Judæis, ſed paucis immutatis, inter quæ leguntur: Quod de paternitate ampliſſima prætenditur, cum in Theodoſii Novella deſit hæc clauſula, Cujacius ex Græcis legendum monet, nec patris honorem arripere: quam lectionem firmat Photius in nomocan. tit. 12. cap. 2. confirmat lex 3. tit. 24. part. 7. lex 4. tit. 8. lib. 8. ordin. Carolus lib. 6. cap. 120. „Ne Judæi adminiſtratorio uſu ſub ordine villicorum, atque actorum chriſtianam familiam regere audeant, eis hoc quoquam fieri præcipiatur.“ Illuſtrant ultra congeſtos in præſenti a Barboſa, & a Cenedo collect. 77. ad Decret. Salcedo in praxi, c. 23. n. 4. & 20. Petrus Greg. lib. 1. part. tit. 5. cap. 4. Barboſa lib. 3. voto 93. Marquez in Gubernat. Chriſt. c. 3. ad finem, Mendoza in can. 56. Conc. Illiber. Gutierez de Judic. lib. 11. cap. 22. Acunna in d. cap. nulla 14. Amaya in l. un. Cod. de infamibus, n. 61. Fragoſo part. 1. de regim. Chr. Reip. diſp. 2. §. 8. Tiberius Decianus tom. 1. reſp. crim. lib. 5. cap. 13. Majolus dier. canic. colloquio de perfid. Judæor. fol. 614. Menochius in l. 6. C. de Epiſcop. aud. & in l. fin. Cod. de Judæis, Hunnius ad Treutl. volum. 1. diſ. 3. q. 72. Hopingius de jure inſignium, cap. 2. Caball. in cap. Reginaldus, n. 224. de reſtam. Gutherius de officiis domus Auguſt. lib. 2. cap. 4. Mancinus de tribus juris collat. cap. 182. Rodericus Caro in hiſt. Hiſp. lib. 3. cap. 44. fol. 161. Ricciulus lib. 2. de jure perſonar. cap. 28. cum ſeq. Fornerius lib. 6. rerum quotid. cap. 9. Cujac. ad tit. Cod. de Epiſc. aud. & de Judæis: Oſualdus lib. 18. Donell. cap. 9. litt. N. Eſcobar de Ratioc. juriſd. cap. 23. nu. 49. Tapia tom. 2. lib. 14. 5. art. ult.

4 Traditur dubitandi ratio. Sed pro dubitandi ratione in præſentem aſſertionem ita inſurgo. Ad officia publica, dignitateſque illi ſunt admittendi, quibus majora ſuffragantur merita, quia ſimilibus perſonis præmia, & honores debentur, l. in novatus §. hoc autem, C. de offic. Præfect. Africæ, l. 1. ff. de Decurion. l. cum quis, Cod. eod. tit. lib. 10. cap. grata, de præbend. Illuſtrat late Barboſa lib. 3. voto 93. ex n. 27. Igitur ſive Judæus, ſive Paganus quis ſit, ſi tamen majoribus polleat meritis, debet ad officia publica eligi. Augetur primo ex eo, nam juxta præceptum Domini relatum in c. 1. de conſtit. ſervor. acceptio perſonarum non eſt habenda, & injuſtum videtur certum genus perſonarum ad officia, dignitateſque admittere, alios vero ab eis removere: ergo non debent Judæi omnes abſolute, & indiſtincte ab officiis publicis removeri. Augetur ſecundo hæc dubitandi ratio ex l. Judæi 8. C. de Judæis, ubi docetur, quod ſi Judæus litem habeat cum Chriſtiano, adeatur Judex Chriſtianus. Unde a contrario facile deducitur, quod ſi habeat litem cum Judæo, judex ſit eſt adeundus, qui ſecundum jus Hebræorum illam decidere poſſit. Igitur ſaltem pro eo caſu Judæi judices eſſe poſſunt.

5 Solvitur ratio dubitandi. Qua dubitandi ratione non obſtante, vera eſt præſens aſſertio, cujus ratio exprimitur in principio hujus textus, quia videlicet nimis abſurdum eſt, ut Judæi, & Pagani, qui Chriſtum blaſphemant, in Chriſtianos vim poteſtatis exerceant: quemadmodum enim tyrannis Chriſtiani nominis hoſtibus hoc maxime conſilium fuit, ut Chriſtianos ab omnibus honoribus, comitiis, foro, & tribunalibus arcerent, ut de Juliano Apoſtata narrat Greg. Nazianz. orat. 1. in Julianum: ſic vice verſa Chriſtiani Imperatores merito Judæis, & Paganis ad univerſum ad Magiſtratus, & honores aditum præcluſerunt, ut refert Theodoretus li. 1. Eccl. hiſtoria. Quod abſurdum cum cognoviſſent Patres naſcentis Eccleſiæ, cum adhuc Imperatores Catholici non erant; & ex Gentilibus fere eligebantur, repetitis legibus caverunt, ne Chriſtiani alium Chriſtianum coram judice Gentili convenirent, ut ita nullam poteſtatem exercerent Ethnici in Catholicos, & ut omnis occaſio communicandi cum eis tolleretur. Conc. Carth. 4. can. 87. relatum in c. Catholicus 2. q. 6. D. Paulus 1. ad Cor. c. 6. ibi: Si qui ex fratribus negotia habent inter ſe, nec apud cognitores ſæculi judicentur. Ubi per ſæculi cognitores intelligi Gentiles, probat Mendoza lib. 3. Conc. Illiber. cap. 38. D. Clemens lib. 2. conſt. c. 50. „Non cognoſcant ergo Gentes controverſias, quæ inter vos oriuntur, neque contra vos infidelium teſtimonia recipiatis, nec ab his vos judicari velitis.“ Anacletus epiſt. 1. ad omnes



Epiſcopos, Alex. I. relatus in cap. relatum 11. q. 1. Accedit, nam Judæi infames ſunt, l. 3. tit. 24. part. 7. junctis congeſtis a Covar. in Clement. ſi furioſus, part. 1. §. 6. nu. 7. Oſualdo lib. 18. Donell. cap. 7. litt. N. Lara lib. 2. de capellaniis, cap. 4. Amaya in l. unic. Cod. de infamibus. Quare Juvenalis ſatyr. 3. v. 13. quaſi vilibus & infamibus perſonis nemora locari conſueviſſe oſtendit, cum inquit:

*Nunc ſacri fontes, nemus, & delubra locantur*
*Judæis, quorum cophinum, fœnumque ſupellex.*

Et gens fœtens dicitur ab Ammiano Marcellino li. 22. & obſcœna a Rutilio li. 1. itiner. Quare a Gentibus maxime exoſi fuere, & eorum occurſus male ominatus, ut tradunt Dorleans lib. 2. ad Tacitum, pag. 321. Barthius lib. 2. adverſ. cap. 11. ſed infamibus portæ dignitatum non patent, d. l. unic. Cod. de infamibus, ubi plura Amaya in l. 3. C. de dignit. Branchorſt. cent. 4. art. 96. Ergo recte in præſenti ſtatuitur, Judæos non eſſe admittendos ad officia publica, & dignitates: quod & ad eorum progeniem, & deſcendentes extendunt Doctores ſupra laudati, & citati in cap. cum 19. 7. de reſcriptis.

Unde infertur, Judæos minime poſſe advocationis officium exercere, l. nemo 19. Cod. de Epiſc. audient. l. ult. C. de poſtul. faciunt textus in l. probatorias 9. C. de diverſ. offic. lib. 12. cap. nemo 7. de poſtul. diſt. 1. quia publicum officium eſt pro alio poſtulare, & non ſolum nobile, verum & laudabile eſt officium Advocati, l. laudabile 4. C. de advoc. diverſ. judic. l. prohibendum 7. C. de poſtulando, docent Donellus lib. 18. comment. c. 3. ubi Oſualdus litt. E. Gutherius de officiis domus, li. 3. cap. 2. Bulengerus li. 6. de Imperat. Rom. cap. 61. Maſtrillus de Magiſtratibus, lib. 1. cap. 12. n. 6. Amaya in d. l. unic. Cod. de infamibus, a n. 87. notavi in cap. 1. de poſtulando. Unde cum ab hujuſmodi officio infames repellantur, & probant Faber in ration. ad l. 1. §. ait Prætor 8. de poſtulat. Tiraquell. de nobil. c. 29. ex n. 11. Judæi tanquam infames ab advocationis munere arceri debent, ut probat Ricciulus lib. 2. de jure perſon. cap. 24. Idem dicendum eſt de Procuratoris officio, nam præterquam quod publicum eſt, l. 2. ff. de regul. juris, non vile & abjectum, ſed honeſtum, & nobile eſt, ut probant Ant. Faber in rationali ad l. Pœnius 7. ff. de arbitr. Tiraq. de nobilit. cap. 30. P. Greg. lib. 9. ſyntag. cap. 4. n. 5. Oſualdus lib. 18. Donell. cap. 5. litt. P. Bobadilla lib. 3. Polit. cap. 1. nu. 13. quapropter infames ab hujuſmodi officio repellantur, c. 1. & 2. 3. q. 7. Paulus lib. 1. ſent. tit. 2. §. 3. & §. fin. de exceptio. docent Faber tuul. l. Pædius, Oſualdus d. cap. 3. litt. P. Covar. Bobadilla & Farinacius, quos refert & ſequitur Amaya in l. ſi quis 34. C. de decur. lib. 10. etſi contrarium teneat Donel. d. lib. 18. c. 3. Nec pro eo facit textus in d. l. ſi quis 34. C. de Decur. nam ut ibi docuit Amaja, in eo textu non agitur de procuratione in judicio exercenda, ſed de adminiſtratione, & procuratione alienarum facultatum, quæ quidem curialibus omnino prohibetur. Unde Judæi procuratores in judicio eſſe nequeunt, ut probat Ricciulus de jure perſon. lib. 2. cap. 27. etſi contrarium teneat Baldus in l. ſi procedente 11. §. jam autem, ff. de excuſat. tutor. Idem etiam dicendum eſt de tabellionis officio: tam quia officium publicum eſt, & per conſequens præſenti conſtitutione comprehenſum: tum etiam, quia honorabile eſt, l. laudabilem 4. ff. de advoc. diverſ. judic. l. maximarum 12. C. de excuſat. muner. lib. 12. quare Caſſiodor. lib. 12. ep. 12. honorabile decus appellavit. Probarunt late Petrus Greg. li. 47. ſyntagm. cap. 41. Bulenger. lib. 6. de Imper. Rom. cap. 26. Cujac. lib. 26. obſer. cap. 14. Amaya in d. l. ſi quis 34. nu. 6. C. de Decur. lib. 10. notavi in cap. 2. ne clerici, vel monachi. Unde merito Judæi a tali officio exercendo arcentur, Ricciulus d. lib. 2. c. 27. per tot. | 6 De officiis advocati, procuratoris & tabellionis.

Nec obſtat dubitandi ratio ſupra expenſa, nam verum eſt, ad dignitates, & officia publica homines virtute pollentes, litteriſque conſpicuos eligendos eſſe; tamen ſimiles conditiones dari nequeunt in Judæis, aut Paganis, cum illi non ſint orthodoxæ fidei; ſed publici peccatores, & quidem immaniſſimi criminis, videlicet infidelitatis, & idololatriæ: unde nunquam in eis poſſunt reperiri qualitates, quæ illos dignos reddant dignitatum, aut publicorum officiorum. Et licet acceptio perſonarum non ſit habenda, hoc tamen procedit inter fideles, & profeſſores orthodoxæ fidei, ejuſdemque virtutis. Unde merito Judæis, & Paganis in omnibus, & quoad omnia præferri debent fideles Catholici. Nec obſtat augmentum difficultatis deductum ex d. l. ſi qua 26. C. de Judæis. Nam verum eſt, quod ſi lis, ſive civilis, ſive criminalis, moveatur inter Judæum, & Chriſtianum actorem, ſive reum, neceſſario Judex Chriſtianus adeundus eſt, d. l. ſi qua; cum Judæi nullam juriſdictionem in Chriſtianos exercere poſſint: idemque dicendum eſt, ſi lis tractetur inter Judæos. Nec tunc obſtat augmentum difficultatis; nam cum argumentum illud deducatur a contrario ſenſu, & inde ſequatur abſurdum, nempe ut Judæi inter Catholicos commorantes publicis præficiantur officiis, ideo tale argumentum non admittitur. | 7 Diſſolvitur dubitandi ratio.

Sed ſupra traditis aperto Marte opponitur textus in l. generaliter 3. fin. §. ff. de Decur. ubi Ulpianus ita ſcribit: „Eis qui Judaicam ſuperſtitionem ſequuntur, Divi Severus, & Antoninus honores adipiſci permiſerunt. Sed & neceſſitates impoſuerunt, quæ ſuperſtitionem eorum non læderent.“ Ex quibus diſertiſſimis verbis conſtat, Judæos ad honores, atque officia publica admittendos eſſe, contra hucuſque tradita, & expreſſam Theodoſii conſtitutionem in l. fin. Cod. hoc tit. Pro cujus difficultatis ſolutione varia adduxerunt utriuſque juris Interpretes communiter repetentes hic. Cov. in Clem. ſi furioſus, 1. part. §. 2. n. 8. de homicid. Joannes de Platea tit. concil. Cod. de Decur. li. 10. Amaya in leg. unic. Cod. de infamibus, eod. li. nu. 71. | 8 Expoſitio l. 3. §. fin. ff. de Decur.



BIBLIOTECA CENTRAL UAB

BIBLIOTECA CENTRALĂ U.A.N.I.

Oſuald, *lib. 18. Donel. cap. 7. litt. N*, aſſeruerunt ſententiam textus *in d. l. 3. §. 3. ff.* corruptam eſſe per edictum Imperatoris Theodoſii, & Valent. *in d. l. fin.* Sed hæc interpretatio facile convincitur ex vulgari principio tradito *in l. un. §. 6. C. de veteri jure enucleand.*; ubi docetur, nihil contrarium in libris Pandectarum compilatum eſſe. Nec Felicius Abbas, Ananias *in profeſſ.*, Anton. Bartolus, & Baldus *in d. l. fin.* docuerunt, Judæos quoad ritus eorum, & ſuperſtitionem poſſe adire judices proprios, idest ſeniores, quorum judicium ſubire tenentur. Verum hæc interpretatio expreſſe refellitur *ex l. Judæi 8. §. fin. C. hoc tit.* in illis verbis: „ In his cauſis, quæ tam ad ſuperſtitionem eorum, quam ad forum, & leges, ac jura pertinent, adeant ſolemnia judicia, omneſque Romanis conferant legibus, & excipiant actiones. “ Ergo quis nec quoad ritus proprios judices peculiares habere queunt: idque expreſſe colligitur ex facto Pauli relato *Actuum Apoſt. c. 25.* ubi conventus eorum collegio ſeniorum ad Cæſarem appellavit: ex quo facto Judæos nullam habere juriſdictionem probat Gutherus *de officiis domus Auguſt.* Nec intereſt, quod Judæi ſynedria ſua, hoc eſt collegia, jure civili etiam approbata retinuerint, *l. Judæor. 4. l. ſi qua 15. C. hoc tit.* probat Cujac. *li. 7. obſ. c. 30.* quia nihil in ipſis circa judicia forenſia agebatur, nec ſeniores in ipſos ullam juriſdictionem exercebant, poſtquam Judæi per varias gentes diſperſi fuerunt ſine Rege, & ſine Duce. Hac exploſa ſententia ſubtiliter Alciatus *li. 3. diſp. c. 8.* quem ſequuntur Tiraquel. *de primog. q. 66. n. 42.* Decianus *li. 5. tr. crim. c. 13. nu. 6.* Dorleans *ad Tacitum li. 2. annal. pag. 319. & li. 13. pag. 646.* Loſeus *de jure univerſ.* Azevedo *in l. 7. tit. 3. li. 8. Recop.* Mendoza *li. 3. Conc. Illiber.* Mancinus *de triplici jur. collat. li. 2. c. 182.* Aldrete *li. 2. antiquit. Hiſp.* Bertrandus *de Juriſprit. in vita Ulpiani*, ait corrupta eſſe verba illius textus, & pro illis verbis, *DD. Severus & Antoninus*, reponendum eſſe *D. Verus, Antoninuſque*. Qua emendatione admiſſa, docet Judaicam ſuperſtitionem non intelligi de Judæis, ſed de Chriſtianis, & eorum ſuperſtitione, quibus Imperatores Divi Ælius Verus, & Marcus Antoninus, qui Divi fratres appellantur, ut probat Riſciola *in epit. Annal. Baronii, tom. 1. an. Chriſti 163.* conceſſerunt, ut honoribus frui poſſent, eo quod in expeditione Germanica bello contra Marcomanos indicto, exercitus ipſorum ſiti pene deficeret, niſi precibus Chriſtianorum imbre de cœlo divinitus dimiſſo ſatiarentur, & ita Imperatores victoria feliciter potirentur, ut referunt Tert. *in apol. c. 5. & ad Scapulam c. 4.* in illis verbis. “ Si literæ Marci Aurelii graviſſimi Imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam ſitim Chriſtianorum forte militum imbre diſcuſſam teſtantur. “ Et Judæos pro Chriſtianis a Gentilibus uſurpari, patet ex Dione Caſſio *in Domitiano*: qui de Flavio Clemente Conſule ſcribit, relictis Romanorum Diis ad religionem Judæorum ſe contuliſſe, Notavit Zerda *in adverſ. c. 97.* Verum hæc ſolutio in pluribus peccat. Primo quia notum eſt, Marcomanicum bellum ſolum ab Imperatore Marco Aurel. Antonino geſtum fuiſſe, cum jam Imperator Verus apoplexia occubuiſſet anno 171. ut referunt Tert. *ubi ſup. d. c. 5.* ubi plura notavit Pamelius *n. 64.* Euſebius Cæſar *li. 5. c. 5.* Paulus Groſius *li. 7. c. 15.* & conſtat ex epiſtola ipſius Imperatoris Marci Aurelii, quæ extat apud Juſtinum in fine ſecundæ apologiæ, ubi ait. „ Quinque enim diebus aquam non ſumpſimus, quod non ſuppeteret; eramus enim in Germaniæ umbilico, eorumque finibus: ſimul autem ac ſe humi abjecerunt, Deum precati ſunt, quem ego ignorabam: ſtatim de cœlo pluvia delapſa eſt, in nos quidem frigidiſſima, in Romanorum vero hoſtes grando ignis ſpecie, & ſimilitudine. “ Si ergo Imperator Verus tempore hujus Germanicæ expeditionis jam deceſſerat, minime miraculi ſupradicti occaſione, ut voluit Alciatus, potuit concedere Chriſtianis, ut honores adipiſcerentur. Quare hæc Alciati ſententia jam diſplicuit Ant. Auguſt. *lib. ſingulari ad Modeſtinum*, Cov. *in Clem. ſi furioſus, 1. p. §. 2. nu. 8.* Oſuald. *li. 18. Donel. c. 7. litt. N.* & notavi *in can. 56.* Concilii Illiber. Nec etiam recte Alciatus & Mendoza *li. 3. Conc. Illiber.* Lipſius *li. 13. annal. Taciti*, Camerarius *cent. 1. horar. ſubceſ. c. 39.* docuerunt Judaicam ſuperſtitionem in eo textu referri debere ad catholicam religionem, quam ita inſenſiſſimus Chriſtianorum Ulpianus appellabat, ut econtra Modeſtinus religionis vocabulo Judæorum ſectam decorat *in l. circumcidere 11. ff. ad leg. Corn. de ſicar.* Catholici veram religionem edocti, cæterorum dogmata ſuperſtitionem plerumque dicunt, *l. omnes qui 49. C. de Decur. li. 10. l. curiales 7. C. de hæret.* Nam ut probat Amaya *in d. l. un. n. 66.* ea verba neceſſario referenda ſunt ad Judaicam religionem, quæ frequenter ſuperſtitio appellatur, ob ſcrupuloſas, & vanas eorum cæremonias.

9 Refellitur hæc interpretatio. Succedit alia interpretatio Maſcardi de Saſſiis *in tract. de Judæis, 2. part. c. 6. nu. 18.* qui aſſerit Imperatores Severum & Antoninum Judæis honores adipiſci permiſiſſe, non omnes, ſed eos, qui ſuperſtitionem eorum læderent. Quam ſententiam ut adſtruat, textum emendat, & ita legit: „ Eos qui Judaicam ſuperſtitionem ſequuntur, Divi Severus, & Antoninus honores adipiſci permiſerunt, ſed & neceſſitatem eis impoſuerunt, qui ſuperſtitionem eorum læderent. “ Sed cum Maſcardus litteram textus corrumpat, audiendus non eſt. Quare his ſententiis omiſſis, ut veram aſſignemus interpretationem, ſciendum eſt, conſtitutionem illam Imperatorum *ſub tit. de Decur.* a Triboniano compilatam fuiſſe. Unde ad honorem Decurionatus referenda eſt, alias Tribonianus ſub eodem titulo eam non tranſcripſiſſet. Quare cum in §. præcedenti actum eſſet de ſpuriis ad Decurionatum in delectum aliorum promovendis, ſtatim Ulpianus *in lib. de offic. Proconſul.* ſcripſit, permiſſum fuiſſe Judæis honores accipere, ergo de honore Decurionatus accipiendum eſt, ut docuerunt Ciſſ. ibi, *litt. L*, & Gothofr. *litt. P*, Bartol. *in l. omnes 49. Cod. de Decur. num. 10.* Deinde ſupponendum eſt, ad exemplum Senatus Romani in aliis municipiis fuiſſe etiam Curiam, ſeu minorem Senatum, *l. excepto 36. C. de Decur.* Unde a Curia, cui adſcribebantur, Decuriones, ſeu Curiales appellati ſunt, *l. obſervare, l. Curiales, l. 37. 39. & 47. C. eod.* vel a decem, quia cum Coloniæ adducebantur, decima eorum pars, qui deducebantur, conſilio publico mancipabatur, *l. Puſillus 239. §. Decuriones, ff. de V. S.* five ut tradit Caſſiodorus *lib. 9. epiſt. 2.* curiales dicti ſunt a cura, quam habere debent maxime ſollicitam de rebus patriæ, & civitatis; & cum ad exemplum Senatus Urbis; Senatus ille minor inſtitutus fuiſſet in municipiis, Decuriones etiam Senatores dicebantur, *l. omnes 33. Cod. de Decur.* Novella Majoriani de Curialibus, *in princip.* Evagrius *li. 7.* Caſſiodorus *li. 2. epiſt. 12. & lib. 5. epiſt. 24. & lib. 6. epiſt. 3.* lepidiſſime notavit Auſonius *in Moſella*;

*—— Quos Curia ſummos*
*Municipum vidit Proceres, propriumque Senatum.*

Docent Pancirola *in notit. de Magiſtr. municip. c. 1.* Briſſonius *li. 4. antiq. c. 13.* Bulengerus *li. 7. de Imperio Roman. cap. 3.* Oſuald. *lib. 2. Donel. cap. 21. litt. E*, Bobadilla *lib. 3. Polit. cap. 8. nu. 8.* Amaya *in præfat. ad tit. Cod. de Decur. nu. 1.* Tandem ſupponendum eſt, quod licet Decuriones hiſce nominibus Senatorum, ſummorumque Primatum decorentur, & licet quamplurimis privilegiis potiantur, quæ congeſſerunt Pancirola *d. tract. de Magiſtr. munic. cap. 6.* Fornerius *lib. 1. ſelect. cap. 13.* Gothofred. *ad tit. Cod. de Decur.* Bulengerus *li. 7. de Imper. Roman. cap. 6.* & licet dignitatem, ac honorem habere dicantur, *l. 2. §. fin. ff. de Decur.* junctis traditis a Platea *in l. 1. Cod. eod. tit. nu. 1.* Bobadilla *lib. 3. polit. cap. 8. n. 19.* Azevedo *in Curia Piſan. lib. 3.* tamen odioſum, utpote plenum oneribus, quæ congerit Amaya *in præfat. ad tit. C. de Decur. lib. 10. n. 17.* & apud antiquos exoſum fuit hujuſmodi officium, uſque adeo, ut albo Decurionum non adſcriberentur, niſi inviti, ut conſtat ex Syneſio *epiſt. 93.* Caſſiodoro *lib. 9. var. epiſt. 2.* ibi: *Quidquid ait honoris cauſa delegabat, ad injuriam potius videbatur eſſe perductum.* Et ſi latitabant, ad ſubeundum munus cogebantur, *L. ex omnibus 31. Cod. de Decur*, imo etiamſi domus Auguſtæ privilegio ſeſe deferrent, extrahebantur, *l. curiales 38. C. eod. tit.* & ſic deinceps cogebantur munus implere, ut velut glebæ adſcripti, & ſervi Curiæ mancipati, ipſam minime deſerere quirent, *l. omnes 50. l. ſi quis 55. C. eod.* adeo ut ſi ſe ſubtraherent, honore privarentur, *l. quoniam 51. C. eod. tit.* Unde velut ſervi cenſebantur. Sic Majoranus eos appellat *in Novel. de curialibus*, ibi; *Curiales ſervos eſſe Reipublicæ.* Licet ex Caſſiod. *lib. 7. epiſt. 47.* Cujac. *nervos* emendaverit, quem ſequitur Fornerius *in notis ad ipſam epiſt. 47. Caſſiodori*, ideoque paſſim in titulo *de Decurionibus, lib. 10.* eorum miniſterium vocatur ſervitium, officiumque mancipatio Curiæ, totque incommodis, atque oneribus fatigabantur Decuriones, ut pœnæ cauſa ab Imperatoribus Gentilibus munus hoc Chriſtianis injungeretur, atque ſupplici loco ipſi Curiæ addicebantur. Caſſiod. *lib. 7. epiſt. 7.* ibi: „ Clericis autem omnia privilegia, honores, conſuetudineſque ſubtraxit, & leges impoſitas pro eis ſolvit, ipſoſque Curiæ tradidit. “ Ex ſatis innuitur *in l. ne quis 38. C. de Decur.* ibi: *Ne quis officialium pœnæ ſpecie Curiæ detur*. Ubi Gothofr. *litt. K.* & Caſſiod. *lib. 1. hiſt. tripart. c. 9.* inter illos qui metallis erant damnati, eos qui Curiis erant mancipati commemorat: obſervat Briſſonius *lib. 4. antiq. cap. 13.* & quod maxime mirandum eſt, quamplures nuptiis abſtinebant, ne liberos Curiæ obnoxios relinquerent, ut teſtis eſt Imperator Juſtinianus *in novel. 38. de Decur. §. 1.* ibi: „ Denique quoniam ipſis corporibus fraudare curam voluerunt, rem omnium impiiſſimam adinvenerunt, a nuptiis legitimis abſtinentes. “

His ſuppoſitis dicendum eſt, Imperatores Severum, & Antoninum Decurionatum permiſiſſe Judæis, quia officium illud plus oneris, quam honoris habebat. Nec credi poteſt, Imperatores Judæos honorare voluiſſe, cum omni ævo eos inviſos fuiſſe Romanis, & in deriſionem habitos fuiſſe conſtet; ipſe enim Auguſtus Cæſar in opprobrium gentis illius Ariſtobulum, & Alexandrum fratres laqueo ſuſpendit. Tiberius ejus ſucceſſor ſic exoſos habuit Judæos, ut eorum ſacra, ac cæremonias ab Urbe Senatuſconſulto pelleret. Tacitus *lib. 2. annal.* Conſequenter Cajus Cæſar Philonem Judæum Legatum poſt Chriſti mortem pro patriis legibus retinendis maxime irriſit, ut referunt Euſebius, & ipſe Philo *in libello legationis ad Cajum*. Claudius Cæſar Caii ſucceſſor edicto ſuo pelli ex Urbe juſſit Judæos, Sueton. *in eod. cap. 25.* Oroſ. *lib. 7. c. 6.* facit Juvenalis *ſatyr. 3. v. 13.* 10 Ponitur vera interpretatio.

*Nunc ſacri fontis, nemus, & delubra locantur*
*Judæis, quorum cophinus, fœnumque ſuppellex.*

Probant Dorleans *lib. 2. ad Tacitum*, Gaſpar Barthius *lib. 2. adverſ.* Et ut ad tempora Septimii Severi, & Antonini accedamus, certum eſt, Ælium Alexandrum Imperatorem primo ſui Imperii anno Judæos ſubvertiſſe, civitatemque Hieroſolymam a ſuo nomine Æliam vocaſſe, ut referunt D. Hieron. *in cap. 9. Daniel.* Aloix *ad vitam S. Ignatii, tom. 1. cap. 2.* Euſeb. *in chron. lib. 4. cap. 5.* Genebrardus *l. 2. chronograph. pag. 62.* Tandem Imperatores Severus, & Antoninus acriter eos perſecuti fuerunt, ut refert Tertull. *in apolog. cap. 5.* qui miſerum eorum ſtatum depinxit: quod & fecit Prudentius, contra Judæos, *verſ. 608.* ibi:

*Exſilio vagus huc illuc fluctuantibus errat*
*Judæus, poſtquam patria de ſede revulſus*
*Supplicium pro cæde luit, Chriſtique negati*
*Sanguine reſperſos commiſſa piacula ſolvit.*



Unde facile cognoſcitur, Imperatores permiſiſſe Judæis Decurionatum obtinere, quia onus erat, ut conſtat ex ſupra traditis; ut ita potius gravarentur onere, quam decorarentur honore. Unde poſtquam Ulpianus refert *in d. §. 3.* Imperatores permiſiſſe Judæis honorem obtinere, ea adjecit verba: *Sed & neceſſitates impoſuerunt*: quæ ſenſum illum habent: Non ſolum onus Decurionatus, ſed etiam alia munera, videlicet oneroſa, eis inflixerunt; ideo additur ea conjunctio &, quæ cum ſuperioribus ſequentia conjungit: teſtantur ſimiliter & verba illa, *quæ ſuperſtitionem eorum non læderent*; nec enim hæc adjecta forent, niſi exprimere voluiſſent, ut quantumvis in eorum defatigationem onera injungerent, nollent tamen ut exinde eorum ſuperſtitio læderetur, cum illi in ſuis ſynagogis & cæremoniis inquietandi non ſint, ut probavi *in c. 3. h. t.* Præſenſit hanc ſolutionem Mela *miſcell. jur. c. 12. n. 11.* Gothofredus *in L. 49. C. Theodoſ. de Decur.* Manet ergo, Judæos non admitti ad honores, & dignitates, admitti tamen ad Decurionatum, quia onus potius continet, quam honorem. Quomodo procedunt textus *in d. l. ult. C. de Judæis*, junctis lege *juſſio 5.* lege *quicumque 10. C. e.* & lege *omnes 49. C. de Decur. lib. 10.* Nec contrarium probatur *in l. Manichæi 12. C. de hæreticis*, ubi Judæis interdicitur Patres civitatum fieri; nam ut recte animadvertit Cujac. *in l. 3. C. de his qui ſponte munera, lib. 10.* Patres civitatum non ſunt Decuriones, ſed civitatum tantum curatores, ut etiam exponunt Gothofred. *ind. l. 3. & d. l. Manichæi 12.* ut etiam pecuniæ publicæ, & operarum publicarum diſcuſſores dicuntur *in l. 1. C. quibus muneribus excuſentur, lib. 10.* Novel. conſtitutio 37. 85. 128. 160. non vero Decuriones: quapropter de illis intelligenda eſt dicta lex *Manichæi 12. C. de hæretic. & Manichæis*, non vero de Decurionibus.

11 Exponitur l. Judæi 8. C. de Jud. Secundo ſupra traditis obſtat textus *in l. Judæi 8. v. ſi qui vero, C. de Judæis*, ubi Imperatores Arcadius, & Honorius docent, Judæos arbitros eſſe poſſe: Ergo & Judices; ſiquidem arbitria redacta ſunt ad inſtar judiciorum, *l. 1. ff. de arbitr.* & per conſequens officium publicum obtinere poſſunt; ſiquidem certum eſt, judicum officium publicum munus eſſe, publicaque auctoritate firmari, *l. fin. §. 14. ff. de muner. & honor. l. quippe 58. ff. de judic. l. 2. ff. de li. J. l. privatorum 3. C. de juriſd. l. 1. ff. eod. l. eum qui 13. eod. t.* Donel. *lib. 27. comm. c. 6.* ubi Oſualdus *littera A, & B*, Goveanus *lib. 2. de juriſd. n. 33.* Valtejus *ad l. 1. C. de juriſdict. lib. 2. c. 14.* Faber *in ration. ad d. leg. 1. de arbitrariis*. Igitur quia Judæi ad publica officia admitti valent. Cui difficultati facile ſatisfaciemus, ſi ſupponamus arbitrum proprie non eſſe judicem, ſed ita appellari adjecta illa particula, *ex compromiſſo*, ſicut judices compromiſſarii ſunt, in quos partes addita pœna compromittunt, *l. non diſtinguemus 32.* & *l. Minorem 34. §. fin. de minor.* docent eleganter Scipio Gentilis *de juriſd. d. lib. 2. c. 8.* differit Cujac. *in partit. ad tit. C. de judic.* Petrus Greg. *l. 47. ſyntagm. c. 12. n. 2.* Et ideo non judices, ſed partes judicii vocantur, *l. Pomponius 13. §. receptiſſe 2. de recept. arbitr. l. 14. C. de judic.* & in quamplurimis judices non habentur, quæ congerit Goveanus *lib. 2. de juriſd. a n. 31.* Donellus *lib. 18. comment. c. ult.* & ibi Oſualdus *littera C.* Ant. Faber *ad d. l. 1. de recept. arbitr.* Unde jure civili ex eorum ſententia nec exceptio naſcebatur uſque ad Juſtiniani noſtri tempora, quapropter cum proprie judices non ſint, ſed tantum partes eorum, nec ullam juriſdictionem exerceant, *d. l. 8. C. de juriſd.* non mirum permiſſum Judæis arbitrium, ut ita potius, quam cum ſtrepitu judicii intra ipſos motæ controverſiæ ſopirentur; & magis ſi obſervemus, infames ab ejuſmodi arbitrio non fuiſſe depulſos, *l. Julius 7. de recept. arbitr.* docet Amaya *ad tit. de infamibus, n. 91.* Unde non non adverſatur dicta lex *Judæi 8.* deciſioni noſtri textus; *ibi*; *Ab officiis publicis*, quia publicum officium minime habet compromiſſarius, nec alter Judex dicitur, quam qui conſtituitur auctoritate publica, ex qua, ut ſupra dixi, appellatur officium publicum, quæ in arbitris ut privatis deeſt, *d. l. 3. C. de juriſd.* Unde tantum officium privatum eſt arbitrium ferre, nec dignitatem, juriſdictionemve ullam continet, ut refert noſter Amaya *ſupra*. Videndus Gothofredus *in l. Judæi 10. C. Theodoſ. de juriſd.*

12 Exponitur l. ſpadonem 15. §. ſed non tam; ff. de excuſ. tut. Etiam ſupra traditis obſtat textus *in l. ſi ſpadonem 15. §. ſed non tam, ff. de excuſat. tutor.* ubi Modeſtinus refert ex conſtitutionibus (intelligo Severi, & Antonini, de quibus *in d. l. 3. §. fin. ff. de Decur.*) Judæos poſſe tutores eſſe, etiam non Judæorum: ſed tutela munus publicum eſt: ergo Judæi poſſunt habere publica officia. Accedit timor perverſionis, ſiquidem facile tutor poteſt corrumpere mores populi Chriſtiani, de quo abſque dubio ſenſit Modeſtin. *in eo textu*, quare pupillus educari jubetur penes eas perſonas, apud quas ipſe cultu veteri, moribuſque patriis educari poſſit, *l. 1. & fin. ff. ubi pupillus, l. 2. C. h. t.* Pro cujus difficultatis ſolutione dicendum eſt, in eo textu doceri Judæos tutores eſſe poſſe etiam non Judæorum, non quoad ipſorum educationem, ſed quoad bonorum adminiſtrationem tantum. Quæ ſolutio facile probatur ex illis verbis ſequentibus *Sicut & reliqua adminiſtrabant*. Ex quibus facile conſtat, in præcedentibus actum fuiſſe tantum de bonorum adminiſtratione, quam recte Judæi habere poſſunt. Nec obſtat tutelam publicum munus eſſe, quia ut ſupra de officio decurionatus dixi, officium tutoris onus potius continet, quam honorem, ideoque ab onere tutelæ Judæos excuſari non poſſe. Nec etiam obſtabit, ſi dicas, tutorem principaliter dari perſonæ, non rei, vel cauſæ, *princ. Inſt. de tutel.* quia licet id verum ſit, tamen in præſenti caſu poſtquam Prætor cauſa cognita agnoverit non expedire pupillum morari, ſeu educari penes Judæum, ipſi onus adminiſtrationis bonorum injunget, alteri vero educationem pupilli commendabit. Verum etſi jure civili hæc procedant, attamen attento jure canonico verius eſt, nec etiam quoad bona Judæos tutores eſſe poſſe, quia licet juxta proxime tradita non poſſint facile corrumpere mores pupillorum; tamen cum infenſiſſimi ſint Chriſtianis, facile, cum non poſſint in corpore, aut anima lædere, in eorum bona graſſabuntur, ut docuerunt P. Greg. *lib. 2. ſyntag. c. 4. n. 8. & 9.* Faber *in Juriſpr. tit. de excuſ. tutor. princ. 2. illat. 9.* Guttierez *lib. 1. de deliſt. q. 31.* Cujac. *lib. 7. obſ. c. 30.* qui etiam jure civili attento hoc procedere affirmat; ſed abſque ullo juris teſtimonio, cum contrarium expreſſe legamus *in c. §. jam autem*.

13 Exponitur l. 3. C. de Epiſc. aud. Ex ſupra traditis lucem accipit textus *in l. Archigerontes, C. de Epiſc. audient.* ubi ita ſtatuitur: “ Archigerontas, directoreſque ergaſiotanorum, non niſi Chriſtiani dirigantur; quod officium tuum ſollicitis obſervet excubiis. „ Ubi difficile eſt, quid per Archigerontas, directoreſque intelligatur; ſiquidem eorum officium tantum Chriſtianis committi ſtatuerunt Imperatores. Accurſius ibi Archigerontas exponit, ideſt Archipresb. aut Epiſc. vel minores ſacerdotes, qui peccata eorum, qui ad metalla damnati erant, audirent. Sed merito eum reprehendit Pancirola *lib. 2. var. c. 173.* Nam ſi Imperatores ſenſiſſent de presbyteris ad confeſſiones damnatorum audiendas deputandis, fruſtra ſtatuerent, ut neceſſario Chriſtiani eſſent, ſiquidem non ſolum Chriſtiani, verum & ſacerdotes tales miniſtri eſſe debent. Nec felicius Alciatus *lib. 3. diſpunct. c. 18.* textum illum accipit de his, qui menſam Principis, aut alia ejus negotia procurant, cum nullibi legamus ſimiles diſpenſatores Archigerontas dici. Panc. *d. c. 73.* aſſerit per Archigerontas in eo textu intelligi ſenes, qui gynæciis præerant, ubi veſtes Principum, & lintea texebantur, de quibus *in tit. de Murilegulis, Gynæciariis, & procuratoribus Gynæcii, lib. 11.* Sed eodem modo refellitur Pancirola, ac ipſe impugnavit Alciatum. Quare his omiſſis, pro vera illius textus interpretatione, qui reperitur in *C. Theodoſ. ſub tit. de Alex. plebis Primatibus*, ut jam notarunt Panc. *d. c. 73.* Cujac. *lib. 23. obſ. c. 3.* Gothof. *ibi*, dicendum eſt, Archigerontas vocari Principales Curiæ Alexandrinæ, ſeu quinque ſummates ordinis Alexandrini, quaſi Principes Senatorum municipalium: curatores vero corporum ejuſdem urbis Alexandrinæ vocant Imperatores Diœcetas Ergaſiotanorum, ideſt curatores corporatorum. Statuerunt ergo Imperatores *in d. l. 6.* Principales iſtos curiæ, & corporatorum Alexandriæ, Chriſtianos eligi, ut in ſeditioſiſſima civitate popularium factiones, quibus Chriſtiana ipſa religio offendi, vel Chriſtiani ipſi premi potuiſſent, Principalium auctoritate comprimerentur: docuit Petrus Burgius *lib. 1. elect. c. 3.* quem ſequitur Mornacius *in d. l. 6.* Cum enim injuſtum, ac indecorum ſit, Judæos, ſeu Paganos præfici Chriſtianis, ſeu officiis publicis, in quorum exercitio ipſos vexare poſſint, ideo Imperatores noluerunt infideles præponi publicis officiis, & præponi ipſis corporatis.

## C A P U T XVII.

Idem a *in eodem*.

AD liberandam Terram ſanctam, *Et infra*: Excommunicamus præterea, & anathematizamus illos falſos, & impios Chriſtianos, qui contra ipſum Chriſtum, & populum Chriſtianum Saracenis arma, ferrum, & *b* lignamina deferunt galearum: eos etiam, qui galeas eis vendunt, vel naves: quique in piraticis Saracenorum navibus curam gubernationis exercent, vel machinis, aut quibuslibet aliis aliquod eis impendunt conſilium, vel auxilium in diſpendium Terræ ſanctæ: ipſoſque rerum ſuarum privatione mulctari, & capientium ſervos fore cenſemus, præcipientes, ut per omnes urbes maritimas diebus Dominicis & feſtivis hujuſmodi ſententia publice innovetur, & talibus gremium non aperiatur Eccleſiæ, niſi totum, quod ex commercio tam damnato perceperint, & tantumdem de ſuo in ſubſidium Terræ ſanctæ tranſmiſerint, ut æquo judicio, in quo *c* deliquerint, puniantur: Quod ſi forte ſolvendo non *d* fuerit, ſic alias reatus talium caſtigetur, quod in pœna ipſorum aliis *e* interdicatur audacia ſimilia præſumendi.

NOTÆ.

NOTÆ.

1 a E*Odem.* ) Textus hic non reperitur in aliqua ex collectionibus antiquis; extat tamen in Conc. Later. ſub Innocentio III. celebrato, ubi poſt canones ipſius Concilii ad ejus calcem habetur, ubi legitur, *Expeditio pro recuperanda Terra ſancta*: ubi varia ſtatuuntur, tam circa Crucesignatos, quam circa deferentes arma ad Saracenos: & ad medium ipſius conſtitutionis reperiuntur verba in præſenti tranſcripta. Cum enim expeditionem Terræ ſanctæ ſæpe tentaſſent Gregorius VII. Urbanus II. Gelaſius II. Calixtus II. Eugenius III. Alex. III. ut referunt Baronius *tom.* 11. *anno* 1095. & *tom.* 12. *anno* 1145. & ſcriptores in Bullam Cruciatam laudati a Patre Mendo *diſp.* 1. *in Bullam*, *c.* 4. ideo veſtigiis prædeceſſorum inſiſtendo Honorius III. varia conſtituit pro expeditione ipſius Terræ ſanctæ, & in gratiam Crucesignatorum; ac contra eos, qui arma, ferrum, & ſimilia ad ipſos Saracenos deferrent.

2 b *Ligamina deferunt galearum.* ) Gloſſa marginalis legit *ligamina*, & recte; ſed debebat etiam reponere *Gallearum* ut, referunt apud Matthæum Pariſium anno 1234. *ibi*: " Qui Saracenis arma, ferrum & ligamina deferunt gallearum;" hoc eſt, materiam ad fabricandas naves longas, ut explicat Voſſius *de vitiis ſerm. lib.* 3. *c.* 21. & ſuadetur hæc expoſitio ex verbis ſequentibus, ubi prohibetur Chriſtianis vendere Saracenis naves, & galeas; alias enim ſuperflua, parumque neceſſaria videbatur præſens conſtitutio, ſi retineretur vulgaris lectio *ligamina galearum*; cum qualibet ligamina facile apud ipſos fabricarentur: & galeæ ſimiliter, ſi acciperentur pro pileo, aut tegumento capitis militum, de quibus plura Turnebus *lib.* 19. *adv. c.* 16. Zerda *ad illud Virgil.* 7. *Æneid.*

*Cum triplici crinita juba galea alta chimæram.*

Stubechius *ad Vegetium lib.* 1. *c.* 20. Accipienda ergo eſt præſens conſtitutio de galeis, videlicet navibus longis, de quibus, & earum forma plura Morſolus *lib.* 9. *orbis maritimi*, *c.* 7. Salmaſius *in obſ. ad jus Atticum*, *c.* 28.

c *Deloquerius.* ) Juxta tradita *in c.* 3. *de temporibus ordin.*

d *Non fuerit.* ) Ut ita qui non habet in ære, luat in corpore, juxta adducta *in c.* 21 *de pignor.*

e *Aliis introducatur audacia.* ) Quæ eſt potiſſima ratio pœnarum, ut probavi *in c.* 13. *§. litteram*, *de offic. ordin.*

Commentarium hujus textus dedi ſupra *in c. ita quorundam*.

# CAPUT XVIII.

Gregorius IX. a *Aſtoricen. & Lucen. Epiſcopis*.

EX ſpeciali, quem erga *b* illuſtrem Regem Portugalliæ gerimus *c* charitatis affectu. *Et infra*: Mandamus, quatenus Regem ipſum ſolicite inducatis, ne in *d* officiis publicis Judæos Chriſtianis præficiat, ſicut in generali Concilio continetur: & ſi forte redditus ſuos Judæis vendiderint, vel paganis, Chriſtianum tunc deputet *e* de gravaminibus inferendis clericis, & Eccleſiis non ſuſpectum, per quem Judæi, ſive Saraceni ſine Chriſtianorum injuria jura *f* regalia conſequantur.

NOTÆ.

1 a A*Storicenſ. & Lucenſ.* Utraque diœceſis eſt Hiſpaniæ: de Aſtoricenſi egi *in c.* 17. *de re judicata*: de Lucenſi *in c.* 4. *qui cler. vel vov.* Reſcribit autem Greg. in præſenti his Epiſcopis, ut facilius ipſi inducere poſſint Regem Luſitaniæ: tum quia viciniores erant ipſius regni, cum eſſent in regno Legionis, & Galliciæ: quia cum non eſſent in ipſius ditione, facilius poterant Regem ipſum monere, arguere, increpareque de tanto exceſſu. His temporibus Gregorii IX. ſceptrum Luſitanicum tenebat Sanctius XI. cognomento Capello, maxime deſidioſus, ignaviſſimuſque in cura ſui regni, ut apparet *ex c. grandi*, *de ſupplend. negl. l.* 6. & referunt de eo agentes Duardos Nonius *ad libellum Joſephi Teixerii*, *cenſur.* 19. Mariana *l.* 3. *hiſtor. Hiſpan. c.* 4. Garibajus *tom.* 4. *comp. hiſt. l.* 34. *c.* 18. Ant. Vaſconcellos *in anacephalæoſi*, *in Sanctio*, Faria de Souſa *in epit. hiſt. Portug.* 2. *p. c.* 5. & 6. Spond. *tom.* 1. *poſt Baron. anno* 1245. *n.* 30. & 1268. *n.* 8. & 1272. *n.* 3. Et his temporibus Luſitaniæ regnum feudatarium Eccleſiæ Romanæ abſque dubio agnoſcebatur, ut referunt Martha *de juriſd. c.* 36. *ex n.* 95. cujus feudi originem tradunt Rodericus Toletanus *de rebus Hiſp. l.* 7. *c.* 74. Genebrardus *in ſua chron.* Garibay *p.* 4. *lib.* 34. *cap.* 18. & de eo Innoc. III. ipſi Regi Portugalliæ ita ſcribit *l.* 1. *ep. fol.* 47. " Serenitatem Regiam volumus non latere, nos in regeſtris bon. mem. Lucii II. Rom. Pont. reperiſſe, quod recolendæ mem. A. Pater tuus quatuor auri uncias annuatim Rom. Eccleſiæ conſtituit cenſuales; ad quarum ſolutionem ſe, & hæredes ſuos in poſteſum obligavit. Ceterum cum idem pater tuus uſque ad tempora felicis mem. A. Papæ prædeceſſoris noſtri, Ducis eſſet nomine appellatus, ab eodem meruit obtinere, ut tam ipſe quam ejus hæredes regio nomine vocarentur. Ut autem idem pater tuus ſacroſanctam Rom. Eccl. matrem ſuam honore debito præveniret, & ut devotionem, quam circa ipſam habebat, oſtenderet in effectu, centum byzantios annuatim Romanæ Eccl. conſtituit cenſuales, quos poſt ſuſceptionem regii nominis nec ipſe ſolvit, nec tu poſtmodum ſolvere curaviſti. Cumque id felicis record. Clementi Papæ prædeceſſori noſtro relatum fuiſſet, magiſtro Michaeli tunc Eccleſiæ Rom. Notario, quem ad partes Hiſpaniæ deſtinarat, per ſuas dedit litteras in mandatis, ut te ad exſolvendum cenſum annuum monere diligentius, & inducere procuraret, & ſi opus eſſet, auctoritate ſua Apoſtolica compellere non differret. "

b *Illuſtrem.* ) De titulo Illuſtribus Regibus, ſupremiſque Principibus a Sede Apoſt. aſſignato, egi *in c. novit*, *de officio Legati*.

c *Charitatis affectu.* ) Nam Alfonſus I. Dux Portugalliæ, qui ab Alexandro III. titulum Regis accepit, totum Regnum Luſitanum vectigale fecit Eccleſiæ Rom. ut conſtat ex Innocentio III. *l.* 1. *ep.* 144. 151. & 152. & *l.* 3. *regeſtr.* 15. *ep.* 24. ubi refert Boſquetus.

d *Officiis publicis.* ) Quænam illa ſint, expoſui *in cap. cum nimis*, *h. t.* ubi commentarium hujus textus dedi.

3 e *Gravaminibus.* ) Quæ non levia inferuntur ab his publicanis, & exactoribus, ut probant late Eraſmus Cochier *l.* 2. *Polit. c.* 10. Procopius *in hiſt. arcana*, *fol.* 100. Furnerius *l.* 6. *rer. quot. c.* 22. Valeſius *in notis ad Ammianum Marcellinum*, *fol.* 210. Amaya *ad tit. C. de exactor. tribut.* Solorzanus *embl.* 34. & 2. *tom. de jure Indiar. l.* 2. *c.* 2. *ex n.* 48. & *l.* 5. *c.* 10. Gibalinus *tom.* 1. *de negotiat. l.* 1. *c.* 2. *art.* 15.

f *Regalia.* ) Idest Gabellas, tributa, & ſimilia jura, quæ congerunt Alfaro *de offic. fiſcal. gloſſ.* 20. *num ſeq.* Pareza *de inſtrum. edit. tit.* 5. *reſol.* 9. Cabedo 2. *p. deciſ.* 42.

# CAPUT XIX.

*a* Idem.

NUlli Judæo baptizatum, vel baptizari volentem emere liceat, vel in ſuo ſervitio retinere. Quod ſi quem nondum ad fidem converſum cauſa mercimonii emerit, & poſtmodum factus ſit, vel fieri deſideret Chriſtianus, datis pro eo xii. ſolidis, ab illius ſervitio protinus ſubtrahatur. Si autem intra tres menſes ipſum venale non expoſuerit, vel ad ſibi ſerviendum emerit eumdem, nec ipſe vendere, nec alius audeat comparere; ſed nullo pretio perducatur ad præmia libertatis.

NOTÆ.

1 a I*Dem.* ) Gregorius videlicet IX. qui præſentem conſtitutionem edidit, ut confirmaret, & ampliaret deciſiones textus *in c.* 1. *c. ad hæc*, *h. t.* circa ſervos a Saracenis poſſeſſos, circa quos ſequentes caſus ſunt diſtinguendi; ſi enim ſervus verna ſit, ideſt natus domi, veliteque fieri Chriſtianus, ſtatim nullo pretio dato eripitur in libertatem, *c. fraternitatem*, 54. *diſt. l. Deo nobis*, *§. hic itaque*, *C. de Epiſc. & cler.* Si autem ſit emptus, diſtinguendum eſt, quia aut erat Chriſtianus, cum emptus fuit, aut Paganus: ſi erat Chriſtianus, indiſtincte in libertatem eripitur, nullo pretio dato, quia Chriſtiani commercium eſt Judæo penitus interdictum, *c. mancipia*, 54. *diſt.* Si autem ſit emptus, dum erat Paganus, aut cauſa ſervitii, aut mercimonii gratia emptus fuit. Primo caſu, ſi vult Chriſtianus fieri abſque ullo pretio eripitur in libertatem, *d. c. ſi fraternitatem*. In ſecundo vero caſu, ſi infra tres menſes Judæus non expoſuit eum venalem, ſi Catholicam fidem profiteri velit, etiam ſine ullo pretio eripitur in libertatem, quia creditur ad ſerviendum eum emiſſe: ſi vero infra tres menſes expoſuit eum venalem, & infra eos, vel poſt velit fieri Chriſtianus, dum tamen non ſteterit per dominum, quominus eum vendiderit, ſoluto pretio duodecim ſolidorum ſervus redimitur.



BIBLIOTECA CENTRAL



# TITULUS VII.

## De Hæreticis.

# CAPUT PRIMUM.

a Stephanus Papa *omnibus Epiſcopis*.

DUbius in fide, infidelis eſt. Nec eis omnino *b* credendum eſt, qui fidem veritatis ignorant.

NOTÆ.

1 a S*Tephanus.* ) Ita etiam legitur in 1. collect. *ſub h. tit.* 1. ſed verba in præſenti relata reperiuntur *in can.* 65. *Synodi Nicænæ*, & *in can.* 4. collectionis Hadriani Papæ, & *in ep.* 1. *Sixti I.* ubi ait: " De cetero placuit propter malorum hominum infeſtationes, ut in accuſatione dominicorum miniſtrorum primo perſona, fides, vita & converſatio blaſphemantium enucleatim perſcrutetur; nam fides omnes actus hominis præcedere debet, quia dubius in fide infidelis eſt. nec eis omnino eſt credendum, qui veritatis fidem ignorant, nec rectæ converſationis fidem ducunt. *Et apud Julium I.* ep. 1. c. 11. Placuit ſemper in accuſatione clericorum, ut primo perſona, fides vita, & converſatio blaſphemantium perſcrutetur; nam fides, omnes actus hominis præcedere debet, quia dubius in fide, infidelis eſt; nec eis omnino eſt credendum, qui veritatis fidem ignorant, nec rectæ converſationis vitam ducunt. " Et hæc ſententia primum fuit Evariſti Papæ *ep.* 2. ut tranſcribitur a Carnotenſi *p.* 5. *Decreti*, *c.* 7. Gratiano *in c.* 17. 2. *q.* 7. mox Sixti *in ep.* 1. deinde Pii Papæ, ut refert Grat. *in c.* 3. *q.* 4. poſtea Caliſti *ep.* 2. relata *in c.* 18. 2. *q.* 7. deinde Fabiani in Syn. Rom. relata *in c.* 7. 3. *q.* 4. Stephani *in ep.* 2. tandem Marcelli *ep.* 2. relata *in c. ſin.* 96. *diſt.* Nec diſſimilis ſententia reperitur in Concilio CP. relato a Gratiano *in c.* 4. *q.* 5. Chalcedon. *can.* 21. apud Gratianum *in c.* 49. 2. *q.* 7. Carthag. 4. *can.* 11. Tolet. 6. *can.* 11. tranſcripto a Gratiano *in c.* 9. 3. *q.* 9. etſi perperam citetur ex Concilio Tolet. Tandem in Capitularibus Caroli *l.* 4. *Capitul.* 183. & *l.* 7. *c.* 147. & apud alios Eccleſiæ PP. quos congerit Ant. Aug. *in notis ad d. can.* 4. *Hadriani*.

2 b *Credendum eſt.* ) Unde hæreticus contra Catholicum, ut teſtis vel accuſator non admittitur, *c. non poteſt*, *c. ſi hæreticus*, *§. orthodoxis*, *c. teſtes*, *in princ. v. Et vera fidei*, 2. *q.* 7. *c. Beatus*, *c. ſi quis vero*, 3. *q.* 4. *c. ſuſpellas*, 3. *q.* 5. *c. qui crimen*, *v. Chriſtum*, 6. *q.* 1. *can.* 74. *Apoſt. l.* 12. *C. de hæret.* Felix II. *in Syn. Rom. ep.* 1. *c.* 9. " Teſtificandi, vel accuſandi licentia denegetur his, qui Chriſtianæ religionis, & nominis dignitatem, & ſuæ legis, vel ſui propoſiti normam, aut regulariter prohibita neglexerint. Et c. 11. & 13. Perſonæ accuſantium tales eſſe debent, quarum fides, & converſatio, & vita probabilis, & abſque reprehenſione ſit. *Et c.* 15. A quibus dolum opprimitur, excommunicatique nullatenus ad accuſationem, vel ad teſtimonium erunt admittendi. *Fabianus Papa* ep. 1. in medio, & ep. 2. *circa medium*: Ipſi Apoſtoli, & ſucceſſores eorum olim ſtatuerunt, eos ad accuſationem non recipi, qui ſunt ſuſpecti, aut dubii in recta fide. " Idem *ep.* 2. *c.* 1. Marcellus Pontifex, *ep.* 1. *ad medium*, Dion. *ep.* 2. Quorum, & aliorum auctoritates congerit Ant. Aug. *in epit. juris*, *lib.* 11. *tit.* 18. & nonnullas adduxi *in c. Judæi*, *de teſtibus*. Hoc autem non procedit, ſi hæreticus contra hæreticum teſtimonium dicat, *c. ſi hæreticus*, 2. *q.* 7. *c. in fide* 5. *de hæret. in* 6. vel ſi pro orthodoxo teſtimonium ferat, *d. c. ſi hæreticus*, *v. Si autem*, Novella 45. *§. enim vero*: notavit Vighel. *in method. jur. Pont. lib.* 2. *c.* 13.

COMMENTARIUM.

3 *Concluſio textus & probatur.* EX hoc textu, prout jacet ſub hac rubrica de hæreticis ſequens communiter deducitur aſſertio: *Dubitans in fide hæreticus eſt.* Probatur *ex Clem.* 1. *§. porro*, *ibi*: *in dubium*; *h. t.* Conc. Later. ſub Leone X. *ſeſſ.* 8. D. Aug. *in Enchirid. c.* 7. & 19. ubi aſſerit, ſalva fide non poſſe uſurpari illam particulam *forte*, in rebus fidei, quia ſignificat dubitationem. D. Hieron. *in Abacuc cap.* 1. *ibi*: " Si autem dubitaverit fides tua, & putaveris non verum quod ſpondeo, habebis pro grandi pœna. " D. Thomas 2. 2. *q.* 10. *art.* 5. & *q.* 11. *art.* 1. Eſtant ultra congeſtos a Barb. in præſenti, Pet. Greg. *lib.* 2. *part. tit.* 6. *c.* 1. Robertus *lib.* 1. *rer. jud. c.* 22. *in fine*, Penna *in direct. Inquiſit. in præſenti*, Suarez *de fide diſp.* 19. *ſect.* 4. Sanchez *l.* 2. *ſummæ*, *c.* 7. *n.* 12. Duardus *ad Bullam Cœnæ Domini*, *l.* 3. *can.* 1. *q.* 13. Ricciulus *l.* 5. *de jure perſon. c.* 4. Azevedo *in l.* 1. *tit.* 3. *l.* 8. *Recop.* Portel. *in dubiis Regul. verbo Hæreſis*, *n.* Carena *de offic. cong. p.* 2. *tit.* 1. *§.* 3. Diana *p.* 2. *tr.* 2. *miſcel. reſ.* 53. Turrecil. *de jure ſpir. l.* 13. *c.* 1. *n.* 33. Thomas Delbene *de immun. eccl. l.* 1. *ſubject.* 31. *n.* 2. Becan. *in* 2. 2. *D. Thomæ*, *tit. de fide*, *c.* 14. *q.* 2. Albertinus *de hæreſ. c.* 5. Cajetanus 2. 2. *q.* 1. *art.* 2. Turrecrem. *l.* 4. *ſummæ*, *p.* 1. *q.* 11. Sa *verbo Hæreſis*, Azor. *tom.* 1. *l.* 8. *c.* 9. *q.* 5. Caſtropalao *tom.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 3. *p.* 2. *n.* 9. Canus *l.* 12. *de locis*, *c.* 8. *v. controverſiarum*, Murga *tom.* 2. *diſq. mor. tr.* 1. *dub.* 1. Tapia *tom.* 2. *l.* 1. *q.* 6. *art.* 3. Prado *tom.* 1. *Theol. Mor. c.* 8. *q.* 1. *§.* 2. Thomaſſinus *de offic. inq. p.* 1. *dub.* 5. *per tot.* Lugo, Bonacina, & Layman, quos ſequitur Macedo *de clav. Petri*, *in* 9. *praxia*, *art.* 2. Suarez *de fide diſp.* 19. *ſect.* 4. alii apud Barboſam *in tom.* 6. *ſolect. ad hunc textum*.

4 *Inſurgitur contra aſſertionem.* Sed pro dubitandi ratione in præſtitutam aſſertionem ita inſurgo: hæreſis non importat ſolum privationem fidei, ſed actum poſitivum in contrarium: quare de ratione hæreſis eſt electio pertinax doctrinæ contrariæ veritati fidei, *c. hæreticus* 24. *q.* 3. D. Thomas *in ep.* 1. *ad Cor. c.* 11. *lect.* 4. & 2. 2. *q.* 11. *art.* 2. *ad* 3. Sed dubitans nullum habet aſſenſum fidei contrarium, nec alterutram partem eligit, ſed pendulus eſt, id enim eſt dubitare: & dubius in fide medium ſe gerit inter hæreticum & Catholicum, ac neuter eſt; nec enim diſſentit poſitive ut hæreticus, nec aſſentitur ut Catholicus, ſed judicium ſuſpendens judicat rem eſſe dubiam. Ergo dubius in fide fidelis eſt, non vero hæreticus. Deinde, nam hæreſis eſſentialiter conſiſtit in judicio intellectus contra fidem: ſed ille, qui dubius eſt, non habet judicium contra fidem, quia qui dubitat, in neutram partem terminatur: ergo hæreticus non eſt. Facit etiam, nam hæreſis, & fides ſunt duo extrema: illa aſſenſum rerum fidei importat, hæc autem diſſenſum: at dubium eſt medium inter illa, utpote quod neque aſſenſum, nec diſſenſum includit: ergo dubius in fide hæreticus non eſt. Quare dubitantem de myſterio fidei, deliberate hæreticum non eſſe docuerunt Canus *lib.* 12. *de locis*, *c.* 9. Sanchez *lib.* 2. *ſummæ*, *c.* 7. *n.* 2. Tannerus, & alii, quos refert & ſequitur Diana *p.* 2. *tract.* 1. *reſol.* 16.

5 *Hæreſis etymon & definitio.* Qua dubitandi ratione non obſtante vera eſt præſens aſſertio, pro cujus expoſitione ſciendum eſt, hæreſim a qua hæreticus appellatus eſt, dictam eſſe a Græca voce *αἱρέομαι*, ideſt *eligo*, vel *ſector*, unde *αἵρεσις* idem eſt ac electio, ſeu ſecta, *c. hæreſis* 24. *q.* 3. docent D. Iſidorus *lib.* 8. *etym. c.* 3. D. Hieron. *in ep. ad Galatas*, *c.* 5. Clemens Alexandr. *lib.* 7. *ſtromatum*, *ibi*: *Hæreſis eſt electio*. Tertull. *lib. de præſcript.* ex D. Auguſt. Cicerone & aliis probant Covarr. *lib.* 3. *var. c.* 1. *n.* 2. Caſtro *de juſta hæretic. punit. lib.* 1. *c.* 1. Cano *in locis theolog. lib.* 12. *c.* 9. Loaylas *in notis ad D. Iſidorum lib.* 1. *ſentent. c.* 17. Suarez *de fide*, *diſp.* 19. *ſect.* 1. *n.* 1. Paramus *de orig. Inq. lib.* 3. *q.* 3. *n.* 3. Santarellus *de hæreſ. q.* 1. *conclus.* 1. Azevedus *in l.* 1. *tit.* 3. *lib.* 8. *recop.* Scortia *de ſelect. epit.* 71. *theorem.* 181. Fagundez *in præcept.* 1. *Decalog. lib.* 1. *c.* 10. *n.* 1. Albertinus *de hæreſ. c.* 1. Suarez *de fide*, *diſp.* 19. *ſect.* 1. Facit textus, ubi hæreſis hoc ſenſu accipitur, *in l. ſi duas* 6. *v. ſi autem*, *ff. de excuſ. tut.* Unde licet dictio hæc ex proprietate ſermonis quamcumque doctrinæ electionem, ſeu ſententiam bonam, & laudabilem ſignificet, tamen quia in his, quæ ſunt fidei, & religionis chriſtianæ, nulla dari poteſt licita electio ex humano arbitrio, nec ſecta aliqua diſciplinæ particularis: tum quia ſunt illa omnia a Deo tradita, & eo revelante inſpirata, juxta Apoſtolum 1. *ad Cor. c.* 2. *ibi*: " Fides non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei, " in cujus obſequium captivandus eſt intellectus noſter cum eodem Paulo 2. *ad Cor. c.* 10. inde merito in hoc titulo, & paſſim apud Doctores hæreſis in Catholicis, quatenus tales ſunt, ideſt in his, quæ ſunt fidei Catholicæ, importat graviſſimum crimen violatæ religionis, inſurgens ex eo, quod fidelis aliquid peculiare eligit, vel ſectatur ex ſuo arbitrio, in his quæ ſunt fidei; in ea enim quidquid eſt humanum inventum particulare, & non unum, violat fidem, & religionem ipſam, ut ex Tertulliano, & aliis probat Caſtro *d. c.* 1. Facit lex *Cœlicolarum*, *C. de Judæis*. Nec obſtat, quod crimen violatæ religionis, cum ſit ſpecies infidelitatis, ut probat D. Thomas 2. 2. *q.* 11. *art.* 1. eſt operatio intellectus, & in eo conſiſtit, quod aliquid perperam intelligitur, & judicatur contra fidem, ut omnes fatentur: electio vero conſiſtit in voluntate, cujus eſt operatio, & conſequenter non poteſt crimen hoc hæreſis, ideſt electio, nominari, nec per hæreſim ſignificari. Quia facilis ſolutio eſt: tum quia vitium hoc non eſt in intellectu abſolute, ſed in eo moto a voluntate; movet enim voluntas ad ſic intelligendum, ut ex D. Thoma 2. 2. *q.* 10. probat Caſtro *ubi ſupra*, *v. Sed fortaſſe*. Simanch. *de cathol. t.* 30. *n.* 3. tum quia licet initium hujus criminis ſit in intellectu errante, conſummatio tamen illius eſt in voluntate, quæ errorem pertinaciter retinet, ut ex mente D. Thomæ advertunt Paulus Grillandus *de hæret. q.* 1. *n.* 6. Brunus *ead. tract. lib.* 1. *c.* 1.

6 *Hæreſis definitio.* Deinde ſciendum eſt, hæreſis definitiones varias adduxiſſe repetentes in præſenti, & ſcribentes de hæreticis, aliosque quos referunt Ricciulus *lib.* 5. *de jure perſon. c.* 1. Carena *de offic. ſupul. p.* 2. *tit.* 1. *q.* 1. Petrus Greg. *lib.* 4. *part. tit.* 6. *c.* 1. Macedo *de clavibus Petri*, *in* 9. *praxia*, Suarez, *de fide diſp.* 19. *ſect.* 1. ex quorum mente ita definiri poteſt hæreſis eſt *error pertinax in Catholico contra fidem catholicam*. Quæ de-